6
10 E
53


Digitized by Google

THEOCRITI
BIONIS ET MOSCHI
IDYLLIA OMNIA

A BERNARDO ZAMAGNA

RHACUSINO

LATINIS VERSIBUS EXPRESSA.



SENIS

EX TYPOGRAPHIA PAZZINIANA

CIↃ. IↃCC. LXXXVIII.

6-10-E-53

Digitized by Google

JOANNI BOSDARIO
BLASII FILIO
PATR. RHACUSINO & ANCONITANO

Joseph Pazzini Carli.

TIbi uni, NOBILISSIME ADOLESCENS, opus hoc, quod ab Avunculo tuo BERNARDO ZAMAGNA *susceptum, ac summa cum laude perfectum est, Ti-*

bi, inquam, deberi facile intellexi, ex quo mihi contigit, ut quæ Vir in omni literarum genere verſatiſſimus in Latium deduxerat, Theocriti, Moschi, ac Bionis venustiſſima Idyllia typis meis ederentur. Plerique enim omnes adoleſcentes ea potiſſimum de cauſa ad amæniores literas animum adplicant, ut eorum ætas alatur, utque ſecundis rebus ornamentum, adverſis vero ſolatium, ac perfugium parent. Tibi autem ad liberales disciplinas excolendas potiora ſuppetunt argumenta, & ſtimuli adduntur, quum ab his ſapientiſſimi hominis exercitationibus, tamquam a domeſtico exemplo exciteris. Illum paucis ab hinc annis probitate, ac morum ſuavitate ſingulorum animos ſibi devincientem, atque humaniores literas maximo plauſu tradentem noſtra hæc Senarum civitas mirata eſt, & quidem decus hoc ſibi additum jure lætabatur. Quis enim facilius ea præcepta, & exempla ex

Græ-

Græcis fontibus haurire, & lautius disponere poterat, quibus juvenes in hisce studiis rite instituuntur, acris quædam judicandi vis adjungitur, ingenium mirifice acuitur, & uberior in dicendo copia suppeditatur? Igitur quo pluris tantum virum faciebat, eo magis doluit ob quamdam rerum commutationem sibi præreptum. At cum te tot inter ex universa Italia delectos juvenes primum ad omnem virtutem, & humanitatem informandum, deinde vero Philosophicis, & Mathematicis disciplinis imbuendum videt; sibi gratulari, & in te uno acquiescere videtur. Nam cum in eo totus sis, ut quidquid in literarum studiis absolutum est, veluti tuum facere tantopere cures, non dubitat, quin Collegium Ptolemæum ei, qui tanto sibi fuerat ornamento, officiorum vicissitudinem sit aliquomodo redditurum. Jam vero Tute ipse intelligis quantum in literis sis profecturus, si eo, quo

pol-

Digitized by Google

polles ingenio, Latina cum Graecis conjungere, & scias, & possis; & quantum adjumenti capturus, si ad ea scripta animum convertes, quae Filio a Sorore carissimo, itemque universae posteritati celeberrimus Autor commendavit. Qui cum opera Graecorum poetarum, quos ad imitandum aemulandumque sibi proposuerat Maro, Latinis versibus elegantissime concinnanda aggrederetur, & uberrimam studiosae juventuti segetem inde provideret Homeri primum Odysseam (Cunichianae Iliadis Sororem meis praelis excusam), deinde Hesiodum, ac postremo Theocritum, Bionem, atque Moschum incredibili omnium expectatione, ac plausu evulgavit. Et quonam successu, Deum immortalem haec omnia praestitit! Ut tantum de interpretatione Theocritaea verba faciam, nonne aurea illa simplicitas, nativique lepores, quos in Archetypo admiramur, ita ad eam traducti

feli-

feliciter sunt, ut nati in Latio, non inserti videantur? Neque unam tantum rerum utilitatem præstantissimus vir, sed etiam verborum venustatem est persequutus, nec solum animi, verum & aurium voluptati egregie consuluit. Ex hac igitur lucubratione perspectum tibi erit in primis, quomodo Virgilianæ Eclogæ Græco hoc pulvere conspersæ sint. Statim enim ac eas attente perlegeris, atque animo comprehenderis, ubi cum Idylliis Theocriti, Bucolicorum principis, comparaveris, optime intelliges, quæ Latinus abs Græco decerpserit, in suamque rem contulerit. Animadvertes scilicet illum pauca admodum ab uno, eodemque Idyllio mutuari solitum, eaque non uno in loco, neque in rem unam usurpare, ita ut non tam imitari, quam ex integro effingere, ac producere videatur. Neque vero minorem capies animi voluptatem, cum ad Bionis, & Moschi carmina ingenii aciem intenderis.

Hic

Hic parem cum Theocrito canendi facultatem, quemadmodum & patriam, tibi videbitur nactus; illum vero alterum ex Triumviris compellabis.

Sed quid ego Te ultra moror? Uberius quidem hæc, & alia scitu dignissima ab optimo præceptore rite doceberis. Igitur, quod mihi restat, Te rogo atque obtestor, ut librum hunc, qui certe tuus esse debuit, oblatum a me dicatumque humaniter excipias, & assuescas jam optimarum disciplinarum Patronus, Autor, atque Assertor vocari.

TYPOGRAPHUS
LECTORI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMAN.

NOn omnia, quæ hoc volumine continentur, Idyllia publici juris nunc primum fiunt. Prodiere aliqua diversis temporibus. Maxima vero pars in nuptiis Caroli Albani Præfecti Sacræ Domus FERDINANDI AUSTRIACI cum Italica eleganti versione Cl. Aloysii Bucchettii, qui & eruditum adjecit procemium, & luculentissimas enarrationes. Nunc tandem vir eximius Zamagna, absolutis jam, quæ ad Bionem, Moschumque pertinebant, omnium quoque Theocriti Idylliorum versionem perfecit, simulque universa dare in lucem constituit, ut trium optimorum Græcorum, qui Bucolica scripserunt, nova interpretatione, eaque integra, Latium ditaretur. Quum vero Idyllía maximi haberet, quæ celeberrimus Cunichius Latina fecerat, nimirum I. II. IV. VIII. XVIII. XXI. & XXVIII. ea retinenda censuit, inque suam edi-

Digitized by Google

tionem adoptanda, tamquam ornamento futura. Illud tantum sibi licere duxit, ut quæ ex iisdem fuerant data opera a Cunichio omissa restitueret, ac suppleret; Quod quilibet videre poterit, qui Senensem hanc editionem cum Mediolanensi instituerit conferendam. Vale.

THEO-

THEOCRITI

IDYLLIUM I.

Thyrsis & Æpolus amice inter se colloquuntur, donisque ab Æpolo propositis, Thyrsis expromit cantilenam de Daphnide amore contabescente.

THYRSIS, ÆPOLUS.

DULCE sonant auræ, dulce hæc fonti adsita pinus,
Æpole, dulce sonat tua fistula, digna secundæ
Mænalium post Pana ferat quæ præmia palmæ.
Hircum si feret ille, capra donabere; capram
Si feret ille, horna donaberis ipse capella,
Horna, quæ nondum peperit, quæ dulcior esu est.
Æ. Dulce tuum, pastor, carmen mage, garrula quam quæ
Aeria de rupe superne huc liquitur unda.
Munus ovem referent si Musæ, munus habebis
Agnum; si malint agnum sibi ducere Musæ,
Munus ovem niveam referes tu, dona secunda.
T. Vis bone, per nymphas, vis Æpole, stratus in herba
Heic clivo in molli, fragiles ubi verna myricas
Ventilat aura, leves de more inflare cicutas?
Dum canis, ipse tuas pascam tibi rite capellas.
Æ. Non fas est medio, non fas inflare cicutas,
Thyrsi, die; magnum metuo nam Pana: labore
Venandi fessus nunc Pan cubat; asper, acerbus
Pan, sedet in summis cui bilis naribus atra.
Hanc potius, quando nosti, bone Thyrsi, dolores

Daphnidis, agreſtiſque tenes faſtigia muſæ,
Hanc concede ulmum ſubter, ſimulacra Priapi,
Fontanas contra & nymphas; paſtoribus apta
Heic ſedes, heic & quercus; heic, Thyrſi, canentem
Audiero nunc te ſi carmen, quale canebas
Paſtorem Lybiæ contra Chromin, hanc tibi capram
Ter mulgere dabo: binos alit ubere fœtus,
Bina ſimul niveo complet mulctralia lacte.
Addam alte inſculptum calicem, ceraque liquente
Collutum, inſtructumque anſis exſtantibus, ipſo
Nuper cælatum qui ſe teſtatur odore;
Cui virides hederæ, cui luteolus amaranthi
Hæret flos labro in ſummo, croceoque virentes
Capreoli fœtu ſerpunt ludente corymbo.
Interius ſculpta eſt, opus admirabile, forma
Præſtanti mulier, peploque induta fluente,
Reticuloque comas flaventes vincta: minaci
Ore viri duo ſtant propter, torvumque tuentes
Alternis fruſtra jurgantur. deſpicit illa
Atque hunc atque illum ridens, nec jurgia curat:
Ipſi autem duro correpti pectus amore
Ignem oculis jactant tremulis, fruſtraque laborant.
Hos juxta ſcabro in ſcopulo piſcator ad undam
Curvus per cautes feſtinat retia ducens.
Ille laboranti ſimilis: namque omnia membra
Contendit niſu ingenti, colloque tumentes
Oſtendit venas, ſenior; ſed digna juventa
Firma viri ſe vis cano ſub vertice prodit.
Vinea non longe gravidis rubet aucta racemis,
Quam juxta parvus ſervat puer, & ſedet ipſam
Ad ſepem. heic geminæ vulpes, quarum altera vites
Per medias curſans maturas deripit uvas;

Insidias peram ad pueri struit altera, nec se
Missuram incautum dicit prius, omnia furtim
Quam voret, ac misero fletum & jejunia linquat.
Ille autem e culmo captandis pulcra locustis
Septa struit junco nectens, nec pera, nec uvæ
Jam subeunt animo, textu sed gaudet inani.
It calicem hac illac per totum mollis acanthus;
Plurimus upilio veniens quem visere gestit,
Qui tibi miranti suspendet lumina, Thyrsi.
Nauta tulit calicis pretium Calydonius, orbem
Ingentem pressi lactis, pinguemque capellam.
Necdum etiam labro tetigi, sed conditus omni
Labe caret. quem ferre tibi facilisque volensque,
Dulcis amice, dabo, referas modo amabile carmen.
Invideo tibi nil: agedum, bone; carmina quando
Non umbris, credo, immemori servabis & orco.
T. Incipe bucolicum, dulcis Musa, incipe carmen.
Thyrsis ego ex Ætna, ætnæi Thyrsidis hæc vox.
Quæ loca, dum misere Daphnis tabescit, habebant
Quæ loca vos, Nymphæ? Pindusne, an Thessala Tempe?
Nam neque tum visæ vitrei sub gurgite Anapi,
Non Ætna in viridi, sacra nec in Acidis unda.
Incipe bucolicum, dulcis Musa, incipe carmen.
Illum etiam Thoes, secla & flevere luporum,
Illum etiam sylva torvus leo flevit ab alta.
Incipe bucolicum dulcis Musa, incipe carmen.
Multæ illi ante pedes vaccæ, taurique jacentes,
Multæ illi vitulæ, multæ adgemuere juvencæ.
Incipe bucolicum, dulcis Musa, incipe carmen.
Primus Atlantiades veniens de monte: quis, inquit,
Daphni, quis indigno miserum male perdit amore?
Incipe bucolicum, dulcis Musa, incipe carmen.

Pastores venere, boum venere magistri,
Venit & upilio; quæ te sic, Daphni, rogantes,
Quæ miserum torquent curæ? venitque Priapus,
Cur &, ait, misere tabescis, Daphni? per umbras
Te nemorum, te per fontes, tua nympha requirit.
Incipe bucolicum, dulcis Musa, incipe carmen.
Te petit illa: nimis tu cura ægrescis acerba
Perditus. ante boves servabas, ducere capras
Nunc bonus heu dicére: hic namque irascitur ardens,
Quum videt hirsutas hircis subsidere capras
Mollibus in pratis, quod non caper ipse sit ortus.
Incipe bucolicum, dulcis Musa, incipe carmen.
Tuque videns passim ridentes suave puellas
Suspiras, non ipse choro quod mixtus eodem es.
Hæc illi: at pastor nil contra, mœstus acerbo
Indulgens magis atque magis moriturus amori.
Incipe bucolicum, dulcis Musa, incipe carmen.
Venit ab Idalio ridens Venus; illa dolosum
Nescio quid ridens, at corde irata sub alto,
Atque ait: at certe jactabas nuper amorem
Cessurum tibi, Daphni: malo nunc cedis amori.
Incipe bucolicum, dulcis Musa, incipe carmen.
Cui Daphnis graviter suspirans: Cypri cruenta,
Cypri infesta hominum generi, sæva, improba Cypri,
Ergo mihi totus sol occidit? ast erit ipsum
Intra orcum Daphnis dolor & grave crimen amori.
Incipe bucolicum, dulcis Musa, incipe carmen.
Pastor ubi fertur Cyprin, pete protinus Idam,
Anchisenque ....: illic quercus, heic densa cyperus,
Atque apibus cava dulce sonant alvearia circum.
Incipe bucolicum, dulcis Musa, incipe carmen.
Pulcher adhuc tibi carus Adonis: pascit & agnas,

Et lepores figit, sequiturque horrentia lustra.
  Incipe bucolicum, dulcis Musa, incipe carmen.
Rursus adi propius Diomedem, & dicito: Daphnin
Pastorem vici Daphnin; contendito mecum.
  Incipe bucolicum, dulcis Musa, incipe carmen.
O Thoesque, lupique, ursique, horrentia dumis
Occultant quos tesqua, valete: haud amplius usquam
Cernetis Daphnin per sylvas & nemora alta.
Tuque Arethusa vale; fontesque & flumina, pulcrum
Quæ pulcra fluitis lympha prope Tymbridis amnem.
  Incipe bucolicum, dulcis Musa, incipe carmen.
Daphnis ego, huc pastum duxi qui ad gramina vaccas;
Daphnis ego, huc potum duxi qui ad flumina tauros,
  Incipe bucolicum, dulcis Musa, incipe carmen.
O Pan Pan, gelidi seu nunc juga celsa lycæi,
Sive altum lustras nunc Mœnalon, huc ades, o Pan,
Trinacrium ad littus. Helices rex ardua linque
Saxa, Lycaonidæ mirum & dîs linque sepulcrum.
  Desine bucolicum jam Musa, o desine carmen.
Nunc violas jam ferte, rubi; ferto, aspera spina;
Fundite juniperi narcissos pulcra comantes:
Cuncta secus fiant. exstincto Daphnide, pinus
Det pira; quæsitos cervi raptate molossos;
Montanæque ululæ philomelam vincite cantu.
  Desine bucolicum jam Musa, o desine carmen.
Sic fatus fessum posuit caput: at Venûs ulnis
Collapsum excepit, voluitque attollere, frustra
Jam frustra. nam cuncta illum fatalia fila
Defecere, nigram petiit Styga, mersus & atro est
Gurgite vir musis, vir amabilis ille Napæis.
  Desine bucolicum jam Musa, o desine carmen.
At tu da capram, calicem da mi, Æpole: mulgens

Libabo Musis. Musæ salvete; iterum mi
Atque iterum salvete: alias meliora canemus.
Æ. Thyrsi, tibi formosa merum mel compleat ora;
Dulcibus & vescare favis atque attide ficu,
Vincis & argutas suavi nam voce cicadas.
En calicem: ambrosium sentin, quem jactat, odorem?
Quippe suis lavisse putes in fontibus Horas.
Huc ades, o Cissætha: agesis Thyrsi, hanc tibi mulge.
O capræ, saltu ne ludite, ne malus in vos
Luxuriam solitam jam nunc exerceat hircus.

IDYLLIUM II.

PHARMACEUTRIA.

Saga quædam Delphidem, a quo se relictam & proditam esse dolet, veneficiis flectere ac demum reducere conatur.

Ocyus huc lauros fer, Thestyli, fer mihi filtra;
Pocula purpureæ circumda hæc vellere lanæ,
Perfidus ut magicæ vim sentiat artis amator,
Qui me nondum etiam duodena luce revisit,
Nec de me quidquam, sim viva, an mortua, curat,
Nec perstans foribus malus obstrepit. illum amor egit
Cum venere, avexitque alio pernicibus alis.
Cras Timageti visam festina palæstram,
Ludit ubi, faciamque vafro convicia: cantu
Nunc magico experiar si possim flectere. sed tu
Interea purum fulgeto, Delia; sacro
Carmine te affabor primam, dea; teque sub alta

Regnantem tellure, Hecate, quam sæva canum vis
Horret per tumulos vadentem atrumque cruorem.
Salve Hecate, incœptumque favens dea magna secunda.
Nostra hæc ut Circes ne cedant pocula succis,
Ne vel Medeæ, ne vel flavæ Perimedæ.
 Duc, Iynx, duc ipsa mihi tu ad limina Delphin,
Uruntur salsæ fruges. age Thestyli, sparge,
Sparge molam; infelix, abiit quo mens tua longe?
An miseram me tuque tibi facis improba ludum?
Sparge simul, simul & dic: spargo Delphidis ossa.
 Duc, Iynx, duc ipsa mihi tu ad limina Delphin.
Delphis me malus urit; ego hanc in Delphide laurum.
Laurus ut hæc magnum crepuit, flammataque in ignem
Continuo versa est, cinerem nec cernimus ipsum;
Sic totum indomitus Delphin male torreat ardor.
 Duc, Iynx, duc ipsa mihi tu ad limina Delphin.
Igne liquefacio ceram hanc en auspice diva.
Sic, dea, sic nostro liquatur Delphis amore.
Rhombus ut hic rapido se turbine versat ahenus,
Attonitus sic ille meo se in limine verset.
 Duc, Iynx, duc ipsa mihi tu ad limina Delphin.
Furfuris hoc libo tibi, Delia: flexeris ipsa
Infernumque adamanta, & si quid durius ipso est.
Audistine? canes ululant: dea furva propinquat;
In triviis dea furva: aes aes age, Thestyli, pulsa.
 Duc, Iynx, duc ipsa mihi tu ad limina Delphin.
Nunc placidum late silet æquor, nunc silet aura;
Non silet hæc sed cura meo sub pectore gliscens.
Namque virum deserta voco & male prodita, qui me
Sic viduam casta nuper pro virgine fecit.
 Duc, Iynx, duc ipsa mihi tu ad limina Delphin.
Ter libo, dea magna, ter hæc non irrita dico;

Jam, quocumque calet, jam deserat immemor ignem;
Non minus, ignoto quam Diæ in littore Thesea
Oblitum perhibent flavam crines Ariadnen.

Duc, Iynx, duc ipsa mihi tu ad limina Delphin.
Arcasin hippomanes planta est, gustata furore
Quæ subito stimulat montes armenta per altos.
Sic Delphin videam insanum similemque furenti
Ex nitida huc rapido cursu adventare palæstra.

Duc, Iynx, duc ipsa mihi tu ad limina Delphin.
Delphidis ex ima lapsa est hæc fimbria veste:
Hanc ego divelloque manu, doque ignibus. eheu,
Heu, crudelis amor, nostro de pectore totum
Hausisti, veluti fluvialis hirudo, cruorem.

Duc, Iynx, duc ipsa mihi tu ad limina Delphin.
Cras tibi pharmaca nigra feram, tritamque lacertam,
Thestyli. nunc succos hosce accipe, & illinc limen
Illius inspergens: limen quod prodita servo,
Cui teneor constricta, licet me negligat ille;
Et spue, dicque spuens: en spargo Delphidis ossa.

Duc, Iynx, duc ipsa mihi tu ad limina Delphin.
Illa abiit; sum sola. meas nunc unde querelas
Ordiar? hanc miseræ quis mi cladem intulit auctor?
Sacra canistra ferens Eubulis venit Anaxo
Huc ad nos, Triviæ in lucum; visenda ferarum
Magna ubi pompa ibat; quas inter fulva leæna.

Disce mei caussas, disce, o bona luna, furoris.
Theucharileque adeo nutrix me thressa vocavit,
Mortua jam, tum cara mihi vicina, paratæ
Spectaclum ad pompæ. quam dis invisa sequebar
Bysso culta fluente, gerens pallam Clearistæ.

Disce mei caussas, disce, o bona luna, furoris.
Dum via qua ducit, gradior prope tecta Lyconis,

Formoſum Delphin, formoſumque Eudemippum
Aspicio e nitida redeuntes forte palæstra:
Mollis helichryso flaventior ore nitebat
Lanugo, puram vincebant pectora lunam.
Diſce mei cauſſas, diſce, o bona luna, furoris.
Ut vidi, ut perii maleſana! ut ſaucia curis
Pectus eram! cœpitque vigens tabeſcere formæ
Protinus ille nitor; nec pompæ jam ſuper ulla
Cura fuit, nec quæve domum ſim, quave reverſa
Commemini; morbo ſed conflictabar acuto
Bis quinas luces, bis quinas languida noctes.
Diſce mei cauſſas, diſce, o bona luna, furoris.
Oraque pallebam thapſo magis, & mihi toto
Paullatim crinis de vertice lapſus abibat.
Dira artus macies adduxerat, oſſaque tantum
Duraque reſtabat cutis ægræ. cujus ad ædes
Non miſera adrepſi? quæ me non multa precantem
Vidit anus, morbos docta excantare morantes?
Nil cuncta expertæ melius fuit. hora fluebat
Interea fugiens incaſſum præpete lapſu.
Diſce mei cauſſas, diſce, o bona luna, furoris.
Tunc famulæ verum retegens, age Theſtyli, dixi,
Morbo aliquam fer opem: totam nam Myndius urit
Me miſeram malus ille puer. quin compita greſſu
I ſubito, ſervaque meantem ſæpe palæſtram
Ad Timageti: longa illic otia degit.
Diſce mei cauſſas, diſce, o bona luna, furoris.
Atque ipſum invenies ubi ſolum, te tua, furtim
Dic, Simætha vocat, ſubitoque huc ducito tecum.
Hæc ego mandaram. celerans iter illa nitentem
Noſtra egit Delphin in tecta. at lumine vidi
Ut propius ſuperantem ipſum jam limina portæ,

Disce mei caussas, disce, o bona luna, furoris;
Obrigui nivibus mage tota; ac plurimus uda
Sudor iit de fronte, aura ceu tacta pruina
Liquitur austrina; poteram nec dicere quidquam,
Solvere nec vocem, quantam, quum somnia turbant,
Ad matrem pueri clamantes tollere suerunt:
Sic gelidæ penitus rigui assimilis crystallo.
Disce mei caussas, disce, o bona luna, furoris.
Ille autem crudelis, ubi me vidit amantem,
Lumina defixit terra, solioque resedit;
Tum residens: Simætha, inquit, prævertere tantum
Tu me adeo voluisti ultro, quantum ipse venustum
Antevolans liqui nuper post terga Philinum,
Te coram ut veniamque, tuis & sedibus adstem.
Disce mei caussas, disce, o bona luna, furoris.
Atqui ego venissem, jucundum testor amorem,
Aut tribus aut quatuor sociis comitatus, eadem
Venissem nocte hac servans canentia bacchi
Mala sinu, circum & redimitus tempora fronde
Herculea, ornaret levibus quam purpura vittis.
Disce mei caussas, disce, o bona luna, furoris.
Quod si in tecta forem admissus, tibi dulce fuisset
Spero equidem; neque enim mihi vel contendere cursu,
Vel quisquam sese valeat componere forma.
Et si labra labris potuissem inferre, quiessem
Munere contentus parvo. sin forte fuissem
A foribus longe pulsus, nec tela nec ignes
Cessarent, gemerentque effracto cardine postes.
Disce mei caussas, disce, o bona luna, furoris.
Nunc fateor Veneri grates me reddere primum,
Dein tibi post Venerem debere, quod igne retractum
E medio invitas tua sponte ad limina, dirq

Jam jam æstu exustum, mulier. quippe improbus ille
Sævit amor gravius liparæo sæpe calore.
Disce mei caussas, disce, o bona luna, furoris.
Ille actas furiis patrio discedere gnatas
E thalamo intactas, docuitque relinquere sponsas
Conjugis elusi necdum bene frigida strata.
Dixit: ego facile dicenti credula, dextra
Correptum juvenem mecum in penetralia traxi;
Mutuaque exarsit confestim in corpore flamma,
Oraque flagrabant dulci mussantia voce.
Neve diu teneam te dictis, optima luna,
Maxima res acta est, votorum fine potitis.
Post illo nec me culpavit tempore Delphis,
Ipsa nec illum, hesternam ad lucem. at cara Philista
Atque Melixonis veniens huc mater in altum
Quum veherent cælum roseæ Titanidos axem
Oceano e rutilo, nondum orto sole, jugales,
Multa inter fando miseræ hæc narravit: amore
Captum alio Delphin; puerine, an forte puellæ,
Incertum. tantum sæpe inter pocula dixit
Plena mero miscere, malus quo flagrat, amorem,
Et fugere, & raptim solitum sua visere tecta
Floribus ac semper multis halantia sertis.
Hæc mihi narravit non mendax hospita. ad ædes
Terque quaterque meas prius adventare solebat,
Doricaque heic pyxis posita illi sæpe relicta est.
Nunc vero necdum duodena est luce reversus;
Immemor anne etiam nostri nova gaudia servat,
Deliciasque odit primas? quare ipsa fugacem
Experiar philtris juvenem reprendere. quod si
Læserit heu rursus, Parcas immitia testor
Numina, tabescetque, fores pulsabit & orci;

Talia in hac nobis latitant mala pharmaca cista,
Assyrius quæ me docuit miscere viator.
At tu candida salve, & equos dea tinge sub alto
Oceano: ipsa feram, cœpi quos ferre, dolores.
Salve luna nitens candenti corpore, vosque
Salvete o placidæ comites vaga sidera noctis.

IDYLLIUM III.

CAPRARIUS *seu* AMARYLLIS.

Pastor quidam Amaryllidis amore correptus cum eadem conqueritur, quod male ejus amori puella respondeat.

Delicias sequar ipse meas Amaryllida: capræ
Per juga pascuntur lascivæ, ac Tityrus una est.
Tityre pasce capras, & pastas fontis ad undam
Ante alios dilecte age Tityre, & inter agendum,
Namque caper Lybicus cornu ferit ille, caveto.
O formosa Amarylli, quid ah non sponte sub antrum
Invitas, velut ante, tuum crudelis amantem?
An tibi nunc odii sum causa? et simus, & esse
Jam videor propius mento deformis adunco
Nympha tibi? laqueo coges me perdere vitam.
Ecce decem tibi mala fero: sunt arbore lecta,
Qua legere & voluisti. iterum cras altera carpens
Lecta feram; tantum tu nostras aspice curas.
Atque utinam nunc factus apis tua murmure rauco
Ingrediar sub tecta, interque halantia lapsus
Gramina tecum hederæ filicisque in tegmine ludam!
Nunc scio, quid sit amor: numen grave. pressa leænæ
Ille hausit quondam puer ubera; mater & ipsum

Eduxit querceta inter, qui vulnere sævo
Me crucians imos flamma depaſcitur artus.
O blanda obtutu, penitus lapis, o mea nigro
Nympha supercilio, ne me complexibus arce,
Osculer ut caram: sunt dulcia & oscula vana.
Ni facias, mens est subito discerpere serta,
Mollia pallidulis hederæ quæ plexa corymbis,
Atque apio bene olente, tibi servo. hei mihi luctus
Quam gravis incubuit! tu nil miserere querentis?
Nudus ab aerio scopuli jam vertice in æquor
Insiliam, observat thynnos ubi proximus Olpis;
Et si non moriar, casu lætabere nostro.
Novi equidem: nam tristis ego dum nuper ad artes
Me solitas verti, cupiens, num fida maneres,
Noscere, non pressum strepitu dedit omina læta
Telephilon, sed lenta manu male tabuit herba.
Dixit & Agrœo, dum forte legebat aristas
Messorum elapsas manibus, non inscia vates
Vera monens cribro, toto me corde perire
Heu miserum, nullam tibi nostri in pectore curam.
Ipse capram geminos enixam corpore fœtus,
Albentemque tibi servo. Mermnonis habendam
Hanc sibi jamdudum nigra orat Erithacis: illi
Et dabo, tu vanum quoniam sic improba ludis.
  En oculus dexter saliit mihi: numquid eamdem
Prospiciam? hac tereti modulabor carmina pinu
Innixus, si forte meos si forte dolores
Respiciat; neque enim est totos adamantina sensus.
  Hippomenes, caram voluit quum vincere nympham,
Poma manu retinens plantis pernicibus omne
Emensus spatium est. Atalanta ut vidit, ut arsit,
Ut penitus toto concepit pectore amorem!

Duxit & ex Othri vates armenta Melampus
In Pylon; inque manus ceſsit formoſa Bianti
Illa parens genitura decus clarum Alpheſibeam.
An non & paſcit niveas in collibus agnas
Dum puer, in furias Venerem ſic egit Adonis,
Ut gremio complexa nec ipſa in morte relinquat?
Felix indomito preſſus languentia ſomno
Lumina & Endymion; felix, o candida nympha,
Ipſe etiam Jaſion, lætus qui munera ſenſit,
Quanta nefas ulli ſperare audita profano.
 Heu caput indoluit; nil curas? carmina ponam,
Stratus & heic jaceam. vivi projecta vorabunt
Membra lupi; id ſuavi ſparget tua guttura melle.

IDYLLIUM IV.

PASTORES.

Colloquuntur inter ſe Battus caprarius & Corydon bubulcus armento cuſtos relictus ab Ægone, quem Milo ad certamen Olympicum ſecum abduxerat.

BATTUS, CORYDON.

HÆ, Corydon, vaccæ cujæ ſunt? anne Philondæ?
C. Non; verum Ægonis: paſcendas mi dedit Ægon.
B. Dic mihi, ubi cunctas clam ſero veſpere mulges?
C. Ipſe ſenex vitulos ſubmittit, & omnia ſervat.
B. Quonam abiit ſubito linquens armenta bubulcus?
C. Pulcra virum Milon Alphæi ad flumina duxit.
B. Ecquando ille oleum vidit, duramque palæſtram?
C. Dicitur Alcidæ magno par viribus eſſe.
B. Me quoque dicebat mater Polluce priorem.

C. Bisdenasque abiens agnas tulit, atque ligonem.
B. Egerit in rabiem Milon genus acre luporum.
C. Illum optant gemitu complentes rura juvencæ.
B. O infelices! pastor malus obtigit illis.
C. Certe infelices; jam gramina carpere nolunt.
B. Huic vitulæ jam sola super sunt ossa; cicadas
Ut perhibent, num rore illam victare putandum est?
C. Non hercle. Æsarum nunc illam propter amœnum
Pasco, nec fœni cesso præbere maniplos;
Nunc viridis ludit sylvosa in valle Latymni.
B. Ille etiam taurus macer est. obtingere talem
Lampriadum cupio genti, Junonia sacra (cuiquam
Quum celebrant; namque est mala gens, non commoda
C. Et tamen ad Stomalimnum agitur, Physcique virentis
Ad juga, Neæthique in saltus, cuncta ubi rident
Ægipyro Cnizaque & odorifera Melitæa.
B. Ægon ah male caute! ibunt armenta sub orcum,
Insanis dum tu palmæ infelicis amore;
Atque situ sordet, quam struxti nuper, avena.
C. Non sordet, nymphas testor: nam liquit habendam
Ille mihi, Pisas abiens. inflare cicutas
Doctus ego: canto & Glauces & carmina Pyrrhi;
Laudo florentemque Crotona. urbs clara Zacynthos
Scilicet, Eoumque Lacinion; olim ubi solus
Octoginta Ægon fertur jentasse placentas;
Atque pede arreptum traxit de monte juvencum
Ille suæ donans Amaryllidi. magna puellæ
Clamarunt: risit lætanti corde bubulcus.
B. O formosa Amarylli, tui non immemor umquam
Battus erit cineris, crudeli heu perdita letho;
Pulcra Amarylli, meis fato es mihi rapta capellis
Carior. heu miserum quo fors mala perculit ictu!

C. Dulcis Batte, decet confidere: craſtina surget
Lux melior; vivo spes plurima, nulla sepulto.
Nunc ciet, effusos nunc sistit Juppiter imbres.
B. Fido equidem . . . vitulos age deorsum: cernis olivæ
Ut viridis carpunt ramos? heus, cede, Leparge.
C. Cede, Cymetha, istinc ad montem perge. nec audis?
Juro Pana, malo maſtabere, ni procul istinc
Abscedis. viden, ut repit male rursus eodem?
O utinam, quo terga dolem tibi, fustis adesset.
*B.*Cerne Jovem, Corydon, per magnum: fixa sub imum est
Nam mihi spina pedem. proh carduus asper ut alte
Vulnus agit! male sit vitulæ: dum totus in illa
Sum, pressi vepres: aciem contende; videsne?
C. Næ næ illam arripui summis pulcre unguibus: eccam.
B. O Pan magne, virum domat en res quantula quantum!
C. Nudus Batte pedes montes ne incede per altos:
Rhamnique Aspalatique altis in montibus horrent.
B. Dic age mi Corydon; oculis nigrantibus illam
Noster amat numnam senior, velut ante, puellam?
C. Et nimium certe: modo lenta per otia vidi
Heic prope vicinum ludentes molliter antrum.
B. Maſte animis, lascive: inter numerabere Panas,
Aut Satyros, subter queis sunt exilia crura.

IDYL.

IDYLLIUM V.

VIATORES.

Comatas Caprarius, & Lacon ovium pastor obvii sibi invicem conviciantur primo; deinde, positis pignoribus, cantu certant, Morsone judice adhibito, qui Comatan victorem declarat.

COMATAS, & LACON.

HEUS fugite o Sybaritam illum Lacona, capellæ;
Hesterna qui luce meum furatus amictum est.
L. Necdum a fonte, agnæ? non furem cernitis illum,
Garrula cui nuper Syrinx mea rapta, Comatan?
C. Quam syringa? habuisti ecquando, o serve, sonantem
Tu syringa? tibine tui Corydonis avenam
Non erat inflanti sat sibila rauca ciere?
L. Quam dedit ipse Lycon. quem vero, o liber, amictum
Hic tibi pellitum Lacon tulit, ede Comata?
Nec domino Eumaræ pellis, qua indormiat, ulla est.
C. Quem varium dederat Crocylus mihi, tempore nymphis
Quo fecit capra. jam tum, o perverse, dolebas
Invidus, ac furto fecisti denique nudum.
L. Non varia Lacon te pelle Calæthidis iste
Exuit, Actæum per Pana: aut Crathin in ipsum
Deferar aërio scopuli de vertice præceps.
C. Nec tibi, flumineas adjuro, o amice, Napæas,
Quæ faciles sint usque mihi, syringa Comatas
Abstulit, aut umquam furto hoc lætatus abivit.
L. Si credam, possim mala Daphnidis aspera ferre.

At si vis, hœdum depone: haud ulla Deorum
Vis vetat. Experiere, neges dum velle, canentem.
C. Pallada sus certare jubet. viden', hœdus in herba
Ille cubat. tu agnum bene pastum delige contra.
L. Quî fuerint hæc æqua, o vulpes, pignora nobis?
Quis setas molli pro vellere tondeat? aut quis
Pro tenera mulgere velit canis ubera capra?
C. Quisquis, ut ipse putas, cantando hunc vincere posse
Cominus, argutam contra mala vespa cicadam.
Sit licet ille impar hœdus, non deficit hircus.
L. Ne propera; neque enim posito miser ureris igne.
Suavius heic oleæ sylvestri innixus in umbra
Egelida sub fronde canes. heic mollia circum
Gramina lympha strepit, resonant & acanthida dumi.
C. Haud propero: doleo multo magis ipse, quod audes
In me oculos tu contra attollere, quem puer olim
Dum fueras, docui demens. en gratia tandem
Quo recidit? tua fata, canes i pasce luposque.
L. Abs te audire aliquid potui vel discere, dignum
Quod foret? o turpis nequidquam, atque invide tantum.
C. Tum quum te pronus... memini clamasse dolentem:
Balabantque capræ, balantesque hircus adibat.
L. Altius haud illo subeas, gibbose, sepulcro!
Jamque ades huc: faciam, postremum carmine certes.
C. Haud isthuc veniam: heic quercus, viridisque cyperus,
Heic arguta cavis resonant examina truncis,
Et gemini saliunt fontes, inque arbore summa
Dulce canunt volucres. heic gratior umbra, nec isti
Assimilis; pinusque nuces vicina ministrat.
L. Si venias, heic strata premes mage mollia somno
Vellera, pejus olent, quam tu, graveolentia ab hircis
Illa tibi detracta erosis tergora setis.

Tum nivei lactis magnum cratera Napæis
Constituam, plenumque alium prædulcis olivi.
C. At si tu venias, viridanti stratus in herba
Heic filicem calcabis. erunt & tergora subter
Strata capellarum magis agnis mollia multo.
Octo autem statuam lactis carchesia Pani,
Cymbiaque hyblæo totidem spumantia melle.
L. Isthinc jam certes mecum licet. incipe carmen
Bucolicum; quandoque placent, querceta teneto.
Sed iudex quis erit? foret heic o forte Lycopas!
C. Nil opus est illo. qui proximus ecce laborem
Exercet, valido diffindens robora ferro,
Inspicansque faces, (Morson est ille) vocemus.
L. Haud renuo. *C.* quin ipse voces. *L.* huc hospes adesse
Ne pigeat paullisper, & auscultare canentes.
Nos inter certamus, uter sit carmine primus:
Nec mihi tu faveas, Morson dilecte, nec illi.
C. Sic, Morson, sic per Nymphas: non ulla Comatan
Gratia, non ulla hunc ipsum Lacona sequatur.
Has, quas cernis oves, Sybarites Thurius illi
Tradidit; Eumaræ, duco quas ipse, capellæ.
L, Num te aliquis petiit, nosterne, illius an esset
Grex ovium? nimium per divos, pessime, garris.
C. Vera quidem verax loquor omnia, nec male quidquam
Glorior. ut subitas mordax assurgis in iras!
L. Eja age, si quid habes, nunc incipe. vivus in urbem
Hic sine jam redeat. quam fundis multa, Comata!
C. Musis carus ego magis ipso Daphnide canto:
Spem gregis his geminas mactavi rite capellas.
L. Et me Phœbus amat. sua Phœbo victima pinguis
Pascitur en aries: jam Carnea sacra propinquant.

C. Hasce duas præter, reliquæ peperere gemellos:
Mulgentem & cernens Nympha inquit: sicrine mulges?
L. Caseolis prope bisdenos Lacon calathiscos
Implet io; puerumque fovet per florea prata.
C. Malo me Clearista petit, compellere capras
Dum propero; & subito fugit ipsa, & sibilat ore.
L. Me Cratidas meus ignis agit sæpe obvius acres
In furias: ludunt flavi per colla capilli.
C. Anne rosis certare cynosbatos, aut anemone
Audeat? illæ altis florentes sepibus halant.
L. Nec montana quidem fas est componere poma
Glandibus. hæc flavent, illigno hæ cortice lædunt.
C. Parta meæ Nymphæ sunt munera. namque notavi
Heic ego juniperi vicina in sede palumbes.
L. Tondobo quum molle pecus, qua fulgeat olim,
In vestem Cratidæ nigrantia vellera mittam.
C. Ite, per acclivem balando & pascite collem,
Heic ubi stant thamarisci. oleastro heus parcite, capræ?
L. A quercu procul hac fuge, Conare, tuque Cymætha:
Pascite, pascit ubi simul ipsa Phalarus, ad ortum.
C. Est sinusque mihi cyparissinus, est opus ingens
Praxitelis crater; quæ servo dona puellæ.
L. Ipse canem, qui curat oves, & strangulat acri
Ore lupos, puero donabo, ut terreat ursos.
C. O mihi quæ saltu super alta hæc septa, locustæ,
Luditis; ah teneras morsu ne lædite vites.
L. Cernitis, hunc uro non lenis ut ipse; cicadæ
Sic & vos stimulis messores urite vestris.
C. Caudatas odi vulpes, quæ dura Miloni
Damna ferunt, uvam populantes vespere sero.
L. Odi & ego turpes scarabeos, usque Philondæ

Qui miseri ficos vastant, fugiuntque per auras.
C. Nonne subit, quum te tenui? tuque actus in orbem
Labraque stringebas, quercumque amplexus habebas?
L. Haud subit: at contra memini bene, quæ tibi quondam
Solverit Eumaras, tua purgans verbere terga.
C. Anne vides, Morson? jam quidam irascitur; ito,
Ac subito veteres squillas evelle sepulcris.
L. Quemdam & ego pupugi, Morson, tuque aspicis; ito,
Erue pubenrem cyclaminum propter Halenta.
C. Himera lacte fluat pro lymphis; Crathis & ipse
Purpureus vino rubeat; det juncus amomum.
L. Et mihi melle fluat Sybaritis; & hauriat urna
Mane novo virgo pro flumine roscida mella.
C. Ægilos & cithisus nostris sunt pabula capris,
Arbuteasque premunt frondes, ulvaque recumbunt.
L. Nostræ at oves pascuntur suave virens apiastrum,
Assimilemque rosis hederam, quæ plurima floret.
C. Jam nec amo Alcippen: nam non dedit oscula capția
Auribus, ipse tuli nuper quum dona palumbum.
L. Eumeden ego amo: nam mi puer oscula fixit
Ambrosia mage grata, dedi quum nuper avenam.
C. Non fas, o Lacon, philomelam cedere picis,
Non upupis cycnos. tu frustra jurgia quæris.
M. Desine jam pastor. me judice dona, Comata,
Tu cape, quumque litans musis mactaveris agnum,
Morson lætitiæ careat ne parte, memento.
C. Polliceor per Pana. fremat balatibus altis
Hircorum jam turba procax, atque ipse cachinnum
Ingentem tollam contra Lacona, quod agnum
Hunc retuli victor; quin saltu & sidera tangam.
Corr[illegible]geræ gaudete meæ vos cura capellæ,
Cras ego vos omnes Sybaritide fonte lavabo.

[library stamp]

Tu vero, qui sæpe feris cornu, Albule, si quam
Attigeris prius, agna cadat quam victima musis,
Plecteris. rursum salit improbus, ecce: Comatas,
Ni feriam, non sim; fiamque Melanthius, opto.

IDYLLIUM VI.

AD ARATUM.

Damœtas & Daphnis bubulci armenta pascentes cantilenam incipiunt: alter ad Polyphemum canit de Galatea; alter nomine Polyphemi respondet ad ea, quæ prior dixerat.

DAMOETAS una Daphnisque bubulcus, Arate,
Compulerant armenta. Erat alter rufus, & alter
Vix tenera spargens roseas lanugine malas.
Projecti vitreas vicini fontis ad undas
Lucis in æstivæ mediis fervoribus ambo
Alterni hæc cecinere. prior sic cœpit ad auras,
Ut prior & voluit cantu contendere Daphnis.
En jactis, Polypheme, gregem tibi candida pomis
Nympha petit Galatea vocans male dulcibus aptum
Ignibus, hirsutos pascis qui montibus hircos.
Tu miser, heu celerem miser o! non aspicis ipsam;
Sed residens dulci modularis arundine carmen.
Rursus at illa canem, viden', ut petit improba, quæ te
Subsequitur custos pecoris? maris æquora cernens
Illa latrat: placidi latrantem cærula ponti
Currentemque ima referunt in litoris ora.
Ah cave, ne in siccum dum prodit, crura puellæ

Insiliens teneræ lædat, ne vulneret artus.
Illa quidem lascivit amans, teque urit, acanthus
Ipse velut, rapidis quem torruit ignibus æstas;
Et fugit optantem, fugientem atque optat amantem,
Ac lapidem movet omnem extremaque fraudibus audet.
Quid facias? magno, Polypheme, videntur amori
Pulcra etiam non pulcra: trahit sua quemque cupido.
Hæc Daphnis. tali est Damœtas voce sequutus.
Vidi equidem, per Pana, gregem quum subdola pomis
Nympha meum peteret. non me furtiva latere,
Nec valuit lumen dilectum hoc, fronte quod unum
Et servo, servemque utinam; licet aspera vates
Damna canens, tristes olim denunciet iras
Telemus; ille suis ferat hæc procul omina natis.
Ipse etiam curis acuens præcordia nymphæ
Cernere dissimulo venientem, alioque teneri
Igne vafer fingo. jactantem illa audit, & intus
Uritur, o Pæan, ægra & tabescit ab undis
Prosiliens furiata; & ovilia lustrat & antra
Undique, si quam aliam videat sub rupe puellam.
Quin docui latrare canem. Quum nuper amabam,
Gannitum edebat super armos ora supinans.
Sæpius hæc cernens facientem, nuncia, spero,
Mittet; ego postes inverso cardine claudam,
Donec jurarit, thalami florentia strata
Sponte paraturam mihi in ipsa hac litoris acta.
Nec sum adeo informis, ceu dicunt. nuper in unda
Me vidi, placidi quum starent æquore fluctus,
Formosæ malæque aderant, formosaque barba,
Formosusque sub alta oculus, me judice, fronte;
Candebant nivei pario mage marmore dentes.
Neve mihi noceat mala lingua, aut fascinus ullus,

In gremium ter ſponte ſpui, ceu juſſerat olim
Illa monens longæva Cotyttaris, Hippocoontis
Meſſores inter quæ carmina grata canebat.
Hæc dicens ſocio Damœtas oſcula fixit,
Atque dedit ſyringa; data eſt huic fiſtula contra.
Fiſtula Damœtæ, ſyrinx ſua Daphnidi ſumpta.
Et ſimul inſonuere. Sono quo protinus iſtæ
In numerum ſaliere per herbida prata juvencæ:
Neuter abit victor, ſat utrique eſt æmula fama.

IDYLLIUM VII.

THALYSIA SIVE ITER AD SACRA CERERIS.

Narrat Theocritus in hoc Idyllio, ut a Phraſidamo & Antigene invitatus cum aliquot ſociis iverit ad Cereris ſacra, occurreritque Lycidæ Cydonienſi ex Creta, fortaſſe in inſula Co.

Ipse in Halenta olim procul urbe atque Eucritus una
Ivimus; ac ſocius nobiſcum venit Amyntas
Tertius. Antigenes Cereri nam ſacra parabat,
Et pariter Phraſidamus, uterque & patre Lycopeo
Et bonus, a Clytiæ deducti ſtirpe nepotes,
Magnanimi & Chalconis, ea eſt ſi gloria, primus
Qui gelida de rupe, genu connixus utroque,
Ætherias fontem Burhinum eduxit in auras,
Durum opus aggreſſus. Circum frondentibus alni
Stant ramis, ulmique comis umbracula texunt
Dulce viatori rabido lenimen in æſtu.
Necdum etiam curſu mediam perfecimus alta

Urbe viam, necdum Brasilæ apparere sepulcrum
Cœperat, extemplo venit ecce Cydonius hospes
Obvius, Aonidum non inscius ille sororum.
Nomen erat Lycidas, vitaque caprarius: huic se
Omnia tam similem, gressumque, habitumque, ferebat,
Nosceret ut primo, quicumque aspexerit, ore.
Namque humeris pellem setosam exstantibus hirco
Ex alto suspendit, adhuc & lacte recenti,
Et pingui sero olentem. antiquum pectora subter
Hispida firmabant stringentia cingula amictum;
Inque manu curvis sine arte oleagina nodis
Virga aderat. suavi tum risu labra decenter
Movit, & adversum cernens hæc edidit ultro.
Quo media te luce pedes, quando ipsa lacertos
Occultant virides spineta, nec atra querelis
Circum busta vagæ tremulis Corydallides errant,
Ducunt, Simichida? positæ ad convivia mensæ,
Ullius an civis calcanda ad præla vocatus
Sic properas? pulsi pedibus resonantque lapilli,
Subsiliuntque in crura: omnis strepit impete vallis.
Dixerat. Huic referens: fama est, carissime, dixi,
O Lycida, nullum sumptis contendere avenis
Pastoremque tibi & messorem posse; nec artem
Invideo; lætor potius, quod laude secundus
Ipse etiam spero modulando æquare canentem.
Causa viæ Ceres alma, epulum cui rite sodales
Instituunt sollemne, atque annua munera solvunt
Primitias frugum. namque illis optima diva
Hordea largifico dedit auctu, & grandia vicit
Horrea. nos autem, communis euntibus ista
Quando via est nobis & lux, quid dicimus ambo,
Quod valeat suavi dulcedine spargere mentem?

Me quoque Musarum sacrum os, me dulcia dicunt
Carmina pastores meditari: at credulus illis
Non ego, non equidem fido. Nam vincere nondum
Sicelidam aut Samium sperem illum, aut voce Philetam,
Rauca velut certans argutis rana locustis.
Sic ego; sic placide subridens ille reponit.
Hanc age sis virgam ne respue: vera profaris
Omnia, demissum haud fallax Jove germen ab ipso.
Odi & ego, speret quicumque attollere cælo
Oromedontæis æquales arcibus arces
Posse faber, Chioque audax quicumque poëtæ
Musarum nequidquam ales contendere certet.
Quin nos bucolicum, quando hæc sunt otia, cantum
Incipiamus. ego referam breve carmen, amice,
Quod modulans nuper vicino in colle notavi.

Ageanacta ferant Myrilenæ ad litora fluctus
Cærulei placide vectum, sive Auster ab hœdis
Occiduis impellet aquas, sive asper Orion
Oceani pronus crura alto in gurgite tinget,
Si Lycidam flammis miserum male Cypridis ictum
Solverit: urit enim miserum, gravis urit amantem.
Halcyones undas & late cærula sternant,
Dispellantque notos, eurique sonantia flabra,
Qui pelago ex imo fluitantes evehit algas:
Halcyones, glaucis Nereo genitore puellis
Ante alias volucres quæ caræ in gurgite vivunt,
In scopulis parvos properent componere nidos,
Dum puer & celerat securus, & ostia plenis
Jam subiens velis optato in litore ludit.
Illa luce caput molli redimitus anetho,
Seu viola, seu forte rosa, Pteleatica ad ignem
Vina bibam stratus, dum flammis torret adustas

Caſtaneaſque fabaſque aliquis crepitantibus. alte
Stabit & exſtructus ferulis apioque virenti
Et cnyza bene olente torus; plenuſque lyæo
Ingens crater erit, quem nos ſiccabimus imas
Ad fæces. tu cura aderis potantibus una,
Teque, puer, ſolum te pocula noſtra ſonabunt.
Inflabunt calamos paſtores, alter Acharneus,
Atque Lycopites alter. tum Tityrus ipſe
Cantabit propius, Xenean ut Daphnis amabat,
Ut miſer in ſolis errabat montibus, utque
Errantem moto lugebant vertice quercus,
Ac platani, riguis quas educat Himera lymphis.
Ille autem in lacrymas ibat, ceu liquitur Hemo
Tabida nix, vel Atho, Rhodopeve, aut Caucaſo alto.
Addet, ut ipſe cava quondam caprarius arca,
Stultitia domini, fuerit concluſus, & illum
Florigeræ dulci paſcebant nectare vivum
Intus apes ultro ſubeuntes; muſa quod olli
Dulciſona ambroſio leviter manabat ab ore.
O felix; tu longum hæc non ingrata tuliſti,
Et clauſa in cedro latuiſti; & melle, Comata,
Paſtus apum totum duraſti ſoſpes in annum.
Montibus his utinam nunc o! mihi vivus adeſſes;
Ipſe tibi niveas juga per frondentia capras
Servarem muſiſque tuis cantuque beatus;
Tu modulans alterna nigræ ſub tegmine fagi,
Aut picea stratus ſub opaca dulce ſonares.
Hæc fatus ſubito tacuit, cui talia contra
Rurſus ego: ſimas ducentem in collibus agnas
Me quoque Pierides docuerunt carmina multa,
O Lycida, quæ fama Jovem tulit ardua ad ipſum.
Hoc tamen e multis mage amabile, quod tibi lectum

Incipiam. tu vero audi, o dilecte Camœnis.
Simichidæ non lævus Amor bene sternuit: ipse
Myrtea amat, quantum cupidæ ver dulce capellæ.
Sed miser, ante omnes frustra mihi carus Aratus,
Vulnus alit venis altum, totusque sub imo
Pectore tabescit. Scit Aristes optimus ille,
Quem cithara ad tripodem dum personat, ipse canentem
Audit; & exsultans numeros miratur Apollo;
Qualis amor, quantus desederit ignis ad ossa.
O Pan, Pan, Homoles cui pulcra cacumina parent,
Hunc mihi tu serves. illi concedat in ulnas
Sponte sequens, mollis placeat seu forte Philinus,
Seu quicumque furor. propria hæc si munera præstes,
Non tua, Pan, rigidis configant ilia squillis,
Ac latera Arcadiæ pueri, quum pinguibus extis
Mensa caret, stimulantque acrem jejunia ventrem.
Sin ferus abnueris, totos tibi morsibus artus
Diripiant; figantque ungues, somnumque petenti
Urticas, quibus ipse cubes, supponere certent.
Nec minus Edonum pascens in montibus, Hebrum
Ad gelidum medio sub frigore, proxima torpet
Arctos ubi concreta gelu; medioque sub æstu
Æthiopum fines extremaque litora lustres,
Ad Blemyum scopulos, Nilus nequit unde videri.
Vos vero Hyetidis, dulces & Byblidis undas
Linquentes, quotquot flavæ sacra templa Diones
Et colitis, malis & suave rubetis, Amores,
Purpureis similes, certantes figite telis,
Figite formosum duro sub corde Philinum,
Quando est nulla mei cura infelicis amici.
Sit licet ille apio mage pomo mollis, & ore
Eximius, doleat jam victus, & æstuet æger;

Femineique chori conclament voce per urbem:
Flos utinam flos iste tibi, quo, sæve, superbis,
Jam pereat, formose Philine. haud amplius ullæ
Excubiæ suberunt nobis, nec trita nocebit
Semita, nunc alium solis prænuncius ales
Excitet, & languor contractos torqueat artus;
His alium potius, quam nos, nunc denique curis
Perdat; & ille Molon male fractus membra palæstra
Hac pereat. nos alma quies juvet, atque anus adsit,
Sollicitos quæ, rite spuens, procul arceat æstus.
  Hæc cecini, musisque mihi ceu munus ab ipsis
Demissum, dat habere pedum, Pixamque profectus
Flexit iter læva Lycidas. ego, & Eucritus una
Ad sedes Phrasidami, & Amyntichus, ivimus. illic
In nemore umbroso requievimus, uvida junco
Gramina ubi molli, frondesque e vite recentes
Instravere toros. super alni ulmique comantes
Lene caput circum Zephyro ludente movebant,
Nympharumque cadens vicina e rupe sonabat
Fons vitreis diffusus aquis: late alta cicadis
Argutis dumeta, proculque impulsa strepebant
Raucisonis alia ranis de parte rubeta.
Nec Corydi cessant, nec Achanthides; ipsaque turtur
Suave gemens iterat questus sublimis ab ulmo,
Flavaque se circum fundunt examina fontem.
Omnia ver fugiens referebant, omnia messem;
Sed poma autumnum matura. voluta jacebant
Ante pedes passim pira multa, & mala rubenti
Cortice candebant circum. ramisque gravatis
Cerea nigranti pendebant pruna colore.
Quadrimo quæ vina cado tunc hausimus! o vos
Castalides, colitis juga quæ parnassia, nymphæ,

Dicite, tale Pholi num quondam nectar in antro
Phyllirides statuit Chiron ad pocula magno
Alcidæ? num tale ad Anapi rauca fluenta
Pastorem Polyphemum illum, qui grandia montis
Fragmina in æquoreas jaciebat desuper undas,
Lætitia insueta captum saltare coëgit?
Quale fuit vestro nobis tum munere, nymphæ,
Reclusum, Cereris propter potantibus aram
Frugiferæ. cujus magno sylvestria acervo
Arma utinam rursum defigam: Diva papaver;
Et gravidas manibus quassans ridebit aristas.

IDYLLIUM VIII.

Alternis carminibus inter se certantes inducuntur a Theocrito Menalcas pastor & Daphnis bubulcus. Caprarium quemdam adhibent judicem; isque Daphnidi victoriam adjudicat.

MENALCAS, DAPHNIS, ÆPOLUS.

DAPHNIDI formoso, dum pascit per juga tauros,
Upilio, ut perhibent, occurrit forte Menalcas.
Imberbes ambo. rufi ambo, dicere carmen
Docti ambo, & graciles labro percurrere avenas.
Ut Daphnin vidit, cœpit prior ista Menalcas.
M. Daphni boum custos, certa sis carmine mecum:
Prona mihi res est te, quam volo, vincere cantu.
Hæc prior ille; statim retulit cui talia Daphnis.
D. Lanigeri gregis o custos, argute Menalca,
Non, si te rumpas, cantu me viceris umquam.
M. Vin' certare igitur, posito sed pignore, mecum?

D. Et certare volo, renuo nec ponere pignus.
M. Pignoris ergo, satis quod sit, quid ponimus ambo?
D. Ipse quidem vitulum: tu agnum non matre minorem.
M. Agnum ego non ausim deponere: nam mihi sævus
Est pater, & mater non miris; vespere ad unum
Qui numerant omnes fœtis cum matribus agnos.
D. Quidnam igitur spondes? pretii quid victor habebit?
M. Est mihi pulcra novem calamis compacta cicuta,
Nexu cera pari quam supra jungit & infra.
Hanc possum; nequeo res despondere paternas.
D. Et mihi pulcra novem calamis compacta cicuta est,
Nexu cera pari quam supra jungit & infra.
Illam nuper ego struxi; hic digitus tibi testis,
Quem doleo, diffissa mihi quem læsit arundo.
Sed quis erit, nostræ certent quo judice musæ?
M. Caprigeri pecoris custos nempe ille vocari
Huc poterit, canis allatrat cui candidus hædos.
Jamque vocant pueri, paret dicto ille vocantum.
Jamque canunt pueri; judex sedet ille canentum.
Ducta sorte, prior cœpit cantare Menalcas;
Alterno excepit Daphnis tum carmine carmen
Bucolicum. prior est sic orsus voce Menalcas.
M. Divini saltus & flumina, si qua Menalcas
Vobis grata suis lusit arundinibus,
Pascite oves illi: nec pabula Daphnidi desint,
Quandocumque suas egerit huc vitulas.
D. Jucundi fontes & gramina, si philomelæ
Exæquat Daphnis carmina dauliados,
Pinguia sint armenta illi; sit pingue Menalcæ,
Huc si forte olim venerit ille, pecus.
M. Vernat ager, campique virent, atque ubera lacte
Plena tument, saturæ luxuriant pecudes,

Qua se cumque tulit Phyllis; unde illa recessit,
Pastor, & enecto gramine squallet ager.
D. Capra & ovis geminos dant fœtus, nectare cellas
Complet apis, ramos altius arbor agit,
Qua se cumque tulit Milon: unde ille recessit,
Aridus aridulo cum bove pastor agit.
M. O caper, o nemore in magno qui pascitis hœdi,
Ocyus ad gelidas currite fontis aquas,
Ille ubi nunc cessat; Miloni & dicite: Proteus
Est deus; æquoreos pavit at ipse greges.
D. Non mihi regna peto Pelopeïa, non mihi quantum est
Auri, non rapidis ocyor esse notis:
Sed canere heic tecum; tecum hinc de rupe videre
Errantesque greges & mare trinacrium.
M. Triste malum arboribus nimbi sunt, fontibus æstas,
Alitibus laqueus, retia tecta feris:
Triste viro crudelis amor. Scis, Juppiter, ipse,
Quam gravis admota sæviat ille face.
Hæc pueri alterno luserunt carmine. carmen
Postremum arguta sic orsus voce Menalcas.
M Parce meis hœdis, lupe, matribus o lupe parce;
Parce mihi, multas qui pello ad pascua parvus.
O Lampure canis, qui te sopor obruit altus?
Turpe cani dormire altum, pastore pusillo.
Pascite oves tenerum gramen, nec parcite pulcre
Impleri; surgent rursus, quas carpitis, herbæ.
Pascite dum cunctis turgescant ubera lacte;
Pars queat ut prodesse agnis, pars pressa reponi.
Desierat: cœpit suavi quum Daphnis ab ore.
D. Dulcis vox vitulæ, dulcis quem proflat ab ore
Spiritus, & vituli vox dulcis, voxque juvencæ.
Dulce per æstatem, placidis ubi murmurat undis

Rivus aquæ, stratum sub dio carpere somnos.
Ilicibus decori sunt glandes, dulcia malis
Poma, sui vaccis vituli, vaccæque bubulco.
Hæc alternantes pueri: dein Æpolus infit.
Æ. Daphni, tibi ante omnes dulce os, jucundaque vox est;
Malim audire tuas, quam lingere mella, camœnas.
Utraque debetur tibi fistula: victor utramque
Accipe. contigerit quod si te, Daphni, magistro
Mi quoque bucolicum meditari & discere carmen;
Pulcrum erit hæc cornu mutilo tibi capra minerval,
Lactis inexhausto complet quæ flumine mulctram.
Exiliit plausis manibus puer; ut salit ante
Hinnuleus, visam longo post tempore, matrem.
Indoluit, flevitque alter; qualis nova nupta
Flere solet caræ complexu avulsa parentis.
Ex illo Daphnis pastorum primus habetur
In numero, ductaque superbit Najade nympha.

IDYLLIUM IX.

Pastor quidam Daphnin & Menalcam hortatur ad cantum: qui duo bubulci postquam jussi cantum absolverunt, & ipse Pastor breviter canit.

Pastor, Daphnis, & Menalca,

Incipe tu carmen, suavi prior incipe voce
Bucolicum mihi, Daphni: sequere deinde, Menalca;
Dum vitulos tempus submittere matribus instat,
Et nondum fœtis saturos inducere tauros.
Interea campis armenta vagentur, & una
Luxurient, passim teneras pascentia frondes

C

Tuta per herbosos saltus. jamque incipe carmen,
Daphni, prior: referet certans tibi voce Menalcas.
D. Dulce sonat vitulus, sonat ipsa & dulce juvenca,
Dulce & avena sonat, lætusque in gramine pastor;
Dulce & ego. gelidam mihi strata cubilia surgunt
Propter aquam: supra niveis direpta juvencis,
Quos notus aërio scopuli de vertice præceps
Impulit arbuteos gaudentes carpere fœtus,
Tergora stant. tantum vero ferventia curo
Tempora ego, quantum pueri sua verba parentum.
Sic cecinit Daphnis, retulit sic deinde Menalcas.
M. Ætna mihi mater: formosum in rupe cavata
Antrum habito; largeque solent quot somnia ferre
Vana viris, tot opes habeo. multæque capellæ,
Multæ & oves ludunt; quarum mihi vellera sterno
Sub capite ac pedibus. quernum torrentur ad ignem
Viscera; dissectæ vincunt brumalia fagi
Frigora: quæ metuo, quantum sine dentibus horret
Duras quisque nuces, adsint si mollia liba.
P. Hos ego laudavique pares, & munera utrique
Digna dedi. quondam patrius quam stipite recto
Sponte eduxit ager teretem, quam nec faber ipse
Sustineat culpare, dedi tum Daphnidi clavam:
Pulcram autem concham, cujus sub rupe repertæ
Icaria secui vivos ego protinus artus
In quinas partes sociis sat quinque, Menalcæ.
Ille datam accepit, sonituque implevit acuto.
Bucolicæ o nymphæ gaudete, & promite carmen,
Quale sonans olim cecini pastoribus illis:
Ne mala jam summa noceat tibi pustula lingua,
Formicæ formica, cicada & amica cicadis,
Accipitri accipiter; nobis ante omnia musæ,

Quarum plena domus læto mihi carmine semper
Tota strepat. non blanda quies, non purpureum ver
Dulcius os aperit subito; nec floribus ipsæ
Tam lætantur apes, quam Musis lætor amicis
Semper ego. gaudent, facili quos lumine, Musæ,
Aspicitis; quos non, Circes mala pocula lædunt.

IDYLLIUM X.

OPERARII.

Duo agricolæ, vel potius messores inducuntur colloquentes, Milon alter, & alter Battus: Milon Battum ignaviæ accusat, causamque exposcit. Battus se excusat, culpamque in Amorem rejicit. Deinde canunt inter opus.

MILON, BATTUS.

FESTINE ô nimium messor, quæ cura fatigat
Sollicitum? jam nec recto procedere sulco,
Ut prius, heu pergis; nec messem falce recurva
Cum sociis una resecas; sed lenta novali
Agna velut, cui spina pedem transfixit acuta,
Tarda gregem sequitur, tua vix vestigia torques.
Qualis eris, medios ubi sol accenderit æstus,
Nunc primum incipiens quum non depascis aristas?
B. O Milon, duri Milon de fragmine saxi
Membra gerens, numquamne optantem absentis imago
Ulla animum torsit? *M.* numquam: messoribus ulla
Hunc ipsum an præter sedeat mala cura laborem?
B. Numquam igitur te sævus amor vigilare coëgit?

M. Nec coget : non exsta canes contingere sperent.
B. Infelix ego amo, jam labitur altera, Milon,
A decima lux orta, heu vulnere fixus acerbo!
M. In pleno tibi vina cado, quæ dulcia sicces,
Cerno equidem: contra mihi vile & deſit acetum.
B. Immo inculta mihi stant omnia: squallet agellus
Ipsas ante fores non ullo semine lætus.
M. Dic age, dic, sævo quæ torqueat igne puella?
B. Illa urit miserum Polybotæ filia, nuper
Quam canere audisti messoribus Hippocoontis.
M Sonti numen adest. Quæ longum optata petebas
Vota tenes: tecum vates requiescet agrestis.
B. Carpere men' cœptas? atqui non lumine solus
Plutus eget; cæcus quoque Amor. ne grandia fare.
M. Grandia nec fabor. tantum hei tu pone maniplum,
Atque aliquos jam nunc age cantus incipe nymphæ.
Sic erit iste labor levior tibi; carmina & ante
Dulcia fundentem læta novere Camœnæ,
B. Musæ Pierides, teneram vos dicite nympham,
Dicite: pulcra deæ, quæ tangitis, omnia fiunt.
Bombyce formosa, Syram te nomine dicunt,
Exustamque genas æstu, gracilemque; sed ipsa
Concolor & melli mihi flavo, concolor auro.
Et nigræ violæ sunt, & nigri hyacinthi
Inscriptique notis; tamen illi in serta leguntur
Ante alios flores, nec cedunt frondis honore.
Capra levis cytysum, capram lupus acer, aratrum
Grus sequitur: tu sola furor mihi, sola voluptas.
O tenuit quam Crœsus, opum vis afforet illa,
Ante Paphi dominam nostrum nunc staret uterque
Aureus. ipsa manu calamos, & poma teneres,
Sive rosam; starem contra velatus amictu

Purpureo, vinctusque novis ego crura cothurnis,
Bombyce o mihi cara, pedes tibi lævibus albent
Astragalis similes; tenuis vox gutture manat
Ambrosio; blandos quis possit dicere mores?
M. Heus hic quam longo latuit nos tempore vates
Dulce canens? modulans quam scite & verba notavit,
Et numeros? frustra non illi barba nigrescit,
Carmina tu clari Lytiersæ hæc accipe contra.

Alma Ceres spicis redimita, his campus aristis
Floreat usque novis, ac fertilis horrea vincat.
Stringite, qui metitis, vos stringite rite maniplos,
Ne veniens aliquis, quam segnis inertia, dicat,
Hos tenuit? domini periit male perdita merces,
Ad Borean sectos frugum convertite culmos,
Vel Zephyrum: turgens nam sic pinguescit arista,
Qui teritis frumenta, die ne carpite somnos
In medio: melius paleas tum ventilat aura
E stipula ardenti volitantes. mane laborem
Incipiat messor, quum frondea lustra relinquunt
Cassitæ; repetunt eadem quum vespere sero,
Desinat; ardenti paullum requiescat in æstu.
Cernitis, o pueri, facilis quam munere divum
Vita data est ranis? haud illæ pocula curant
Irriguos latices fundentia; sufficit humor,
Quem madidæ exsudant ultro, servantque lacunæ,
Tu vero, cui cura penum, mensamque parare,
Ah nimium ne parcus ad ignem apponere vescas
Lenticulas trepides. sine, flammis rite madescant;
Neve manum lædas secans in frusta cyminum,

Hæc decuit cecinisse viros, qui sole laborem
Sub rabido exercent, matri narrare sed istum,
O vesane, malum, lecto dum surgit, amorem,

IDYLLIUM XI.

CYCLOPS.

Theocritus Niciam medicum Milesium in hoc carmine alloquitur, nullumque esse ait contra Amorem præsentius remedium, quam Musas, earumque cantum; idque docet exemplo Cyclopis Polyphemi.

Non alio melius medicamine triste nec ungi,
Nicia, nec spargi me judice vulnus Amoris,
Pieridum dulci valeat quam carmine. lenis
Ista quidem tactu medicina & suavis; at æque
Inventu haud facilis. scis, credo, edoctus in arte
Pæonia, carusque novem tu rite camœnis.
Ducebat leviter sic vitæ incommoda Cyclops
Ille vetus Polyphemus in ipso hoc litore, nympham
Perditus æquoream juvenis quo tempore amabat
Vix circum rara signans lanugine malas.
Non crispans in fronte comas, non poma, rosamve
Ipse ferens; sed enim male totis actus amabat
Heu furiis: cura hæc fuit una, at cetera ludus.
Sæpe assueta greges rediere ad ovilia soli
E viridi pastu, spumoso in litore nympham
Dum canit, & luctu tristis tabescit acerbo
Ipsius auroræ rutilo surgentis ab ortu
Vulnus alens, Erycina potens quo pectora fixit
Lethiferam condens alto sub corde sagittam.
Hoc tamen invenit curis lenimen: in antro
Aërio residens, ac subdita cærula spectans

Suavidico tales fundebat gutture questus.

Candida, quid miserum, Galatea o, spernis amantem?
Lacte mihi puro mage candida, mollior agno,
Sævior & vitulo, sylvestri & acerbior uva,
Ipsa venis, quum dulcis habet mea lumina somnus;
Et subito fessos idem quum deserit artus,
Forte lupum ceu visat ovis, fugis ipsa vocantem.
Tempore jam ex illo cœpi te captus amare,
Venisti ut primum nostra cum matre hyacinthos
Carpere purpureos optans in montibus istis:
Monstrabam dux ipse viam, lætusque præibam.
Numquam ego post valui requiescere: nunc neque possum;
Heu semel aspecta; tu vero haud improba curas.
O formosa, scio, cur me sic territa vitas:
Productum geminas hinc atque hinc fronte sub aures
Setosumque supercilium, villosaque barba
Displicet, atque unum curva inter tempora lumen,
Et patulæ simæque super labra hispida nares.
Talis at ipse cavis niveas in vallibus agnas
Mille sequor: multum mage dulci nectare suave
Lac mihi mulgetur, nec plena æstate recentes
Caseoli, extremo desunt nec frigore, & udo
Autumno: stant usque graves circum calathisci,
Canto, ceu nullus Cyclopum in montibus hisce,
Te celebrans, te dulce meum, pulcherrima, malum
Voce vocans, seramque ægrum conquestus amorem
Sæpius in noctem. tibi, nympha o candida, cervas
Bis quinas unamque super per gramina pasco,
Fœcundas omnes, auctas jam fœtibus omnes;
Quatuor & catulos venanti in rupe repertos
Ursorum catulos ego servo. tu modo in antrum
Nympha veni, majora feres & munera tecum,

Scrupea cærulei feriant sine litora fluctus;
Dulcius hoc mecum requiesces nocte sub antro.
Heic & odoriferæ lauri, & teretes cyparissi,
Nigrantesque hederæ, dulcisque in vitibus uva.
Et manat riguis nemorosæ e rupibus Ætnæ
Unda mihi, gelidam quam puræ ad pocula stillant
Inter saxa nives. quis amet post talia pontum
Incolere, aut glaucis non ultro hæc præferat undis?
Quod tibi si horridulus videor, sunt robora nobis
Dissecta e quercu, calido latet abditus ignis
Sub cinere; ardescens per te non perdere flammis
Hanc animam, non ipsum oculum, quo dulcius uno
Nil habeo, renuam. cur ah! non mater habentem
Squammea me peperit curvatis brachia pinnis,
Ut subiens tua tecta tuas levis osculer ulnas,
Ni potius vis ora? tibi vel candida ferrem
Lilia, vel lento rubicunda papavera collo.
Omnia nec possem ferre una: hæc frigora sera,
Illa sub ardenti veniunt felicius æstu.
Jamque animus fert, nympha, ipsas & nare per undas
Discere, si veniat quis nostra ad litora nauta:
Sic vobis quid dulce ferat domus æquore, noscam.
Huc ades, o Galatea: undoso e gurgite frontem
Exere, & oblitas residens, ceu lentus & ipse,
Ne propera tua regna abiens invisere sedes.
Heic potius placeat per gramina ducere mecum
Læta gregem, atque ovium pressare tumentia palmis
Ubera, & expresso miscere coagula lacti.
Heu mater, me sola heu mater perdidit; ipsam
Saucius incuso. de me est nil dulce loquuta,
Nec dixit, quod amo; licet illa & sæpe querentem,
Et magis atque magis tenuatum corpore cernat.

Jam nunc afflictumque caput, pariterque dolere
Crura pedesque ambos dicam mihi, tristis ut ipsa
Indoleat, tam tristis ego quum tempora duco.
O Cyclops Cyclops, quo te malus abstulit error?
Quin rediens utinam calathos vel texere junco,
Frondea vel teneris ovibus virgulta parares
Sternere; quam satius cura hæc te digna deceret!
Præsentem mulge: quid quæ fugit, anxius usque
Insequeris? fors & formosior altera cedet
Parta tibi Galatea. jubent me ludere multæ,
Et canere, & secum requiescere nocte puellæ;
Ipsæ etiam rident, segnis quod vota petentum
Haud moror; in terris etiamnum vivere dicor.
  Sic melius Musis ægrum solatus Amorem
Lenibat Cyclops, quam si aurea dona dedisset.

IDYLLIUM XII.

AITES.

Amatorium est hoc breve Idyllium, nec caret simplici quadam venustate. In eo autem amator quidam desiderat, ut ejusdem amicus pari ipsum amore semper prosequatur. Jonica plerumque dialecto ſcriptum est.

VENISTI, puer alme, aurora ut tertia fulsit
Post totidem noctes venisti? perdit amantes
Ah nimium properata vel una in luce senectus.
Quanto ver bruma, quanto mage suavia prunis
Poma placent, quantoque suo villosior agno

Præstat ovis, quanto ter nupta matre vigescit
Virgo pulcra magis, quantoque est hinnulus acri
In cursu vitulo citior, philomelaque quanto
Dulcisono potior cantu sese evehit omnes
Inter aves; tanto mihi gratior omnibus unus
Deliciis tu grate venis. vestigia lustrans
Ipse tua, ardenti fessus ceu sole viator
Frondiferæ quercus ramosa umbracula fagi,
Te solum optabam, solum te voce vocabam.
O concors utinam nobis aspiret utrisque
Dius amor, seris ut dulce nepotibus olim
Simus uterque inter felicia gaudia carmen.
Unanimes vixere duo olim fœdere juncti
Alterno juvenes: unum, quis dicat Amyclis
Eispnilon, patriæ de nomine vocis amicum,
Thessalioque alium de more appellet Aïten,
Scilicet æquali fixum præcordia amore:.
Nam simili ardebant flamma. tunc aurea certe
Secla hominum viguere, ubi amatus amabat amantem.
Edite Saturno sic & pater adnue nobis,
Ut memoret nos fama æterna vigentibus annis,
Et mihi bis centum post secla Acherontis ad undas
Nunciet: ille tuus sociique amor almus in ore
Cunctorum est, juvenumque in primis. vota secundent
Hæc mea Cælicolæ, placitoque o! numine firment.
Interea meritis celebrans te laudibus ulla
Non ego mendacis metuam vestigia linguæ
Visa super naso. namque etsi læseris olim,
Continuo noxam duplicato fœnore reddis
Innocuam; potiusque juvas bis carus amantem:
Semper ego referens abs te dona aucta recedo.
Nisææ o Megaræ cives, Neptunia pubes,

Vivite felices, quod soli ex omnibus illum
Cecropium cumulastis honore Dioclea, quondam
Cui fuerunt lusus puerorum & munera curæ.
Ipsius ad tumulum primi sub tempore veris
Collecti certant pueri, quis doctus ab arte
Oscula ferre sciat melius. qui dulcia labris
Labra mage applicuit, florenti tempora serto
Vinctus abit, caræque ostentat præmia matri.
Felix o tali quisquis certamine judex
Assidet! ille quidem Ganymedi multa venusto
Vota facit; labroque tenus jam lydius optat
Esse lapis, rutili quo bractea fulva metalli
Sæpe fabro vigili, ne sit vitiata, probatur.

IDYLLIUM XIII.

HYLAS.

Hoc XIII. Idyllium inter Theocritæa est item scriptum ad Niciam: docemur autem, non solis hominibus Amorem imperitare, verum etiam heroibus.

Haud tenerum nobis, ni mens me fallit, Amorem,
Nicia, progenuit solis, quicumque deorum
Protulit indomitum; nec nobis pulcra videntur,
Quæ visu sunt pulcra, unis, mortalibus ægris
Scilicet, ignarisque dies quid crastina portet.
Ille etiam Amphitryone satus, fortissima proles,
Cui cessit Nemeæ terror, dilexit amatum
Victus Hylam nivea cirros in fronte plicantem;
Et genitor velut ipse suum docet omnia gnatum,

Edocuit, qua doctus erat, qua clarus in arte.
Numquam erat a caro puero procul, altus agebat
Vel media sol luce rotas, vel candida bigis
In croceis cælum fulgens aurora petebat,
Vel tenebris nox atra polum spargebat, ubi omnes
Respiciunt avium queruli sua culmina fœtus,
Quos mater tremulis invitat desuper alis.
Tantus amor pueri, tantusque insederat ignis
Anxifero sub corde! ille autem exempla sequutus
Grandia florentes æquabat laudibus annos.
Sed quando Æsonides auratum ad vellus Jason
Tenderet, ac late totis ex urbibus irent
Delecti juvenes; Jaolci ad mœnia venit
Ipse etiam auxilio properans durissimus heros
Filius Alcmenæ Mideatidis heroinæ.
Atque illum comitatus Hylas conscendit in Argo
Velivolam; quæ sola nigras Symplegadas inter
Innocuo fugit lapsu, Phasimque profundum
Ingressa est, liquidos volitans super edita fluctus,
Ceu Jovis ales. iniquæ ex illo tempore cautes
Instabiles quondam, fixa radice, stetere.
  Jamque ubi formosum terris os Plejades ortæ
Monstrabant, pinguesque aderant in saltubus agni
Extremo sub vere; omnis flos pubis achivæ
Maturavit iter cursus memor; altaque fusi
Heröes ad transtra ratis, spirantibus austris
Per tres usque dies, celeremque ferentibus Argo,
Hellespontiaci subierunt gurgitis oras,
Et portu sedere Propontidos, arva Cianum
Pinguia qua fortes invertunt vomere tauri.
  Emicat in litus pubes, cænamque sub ipsa
Nave parat propius venienti vespere; & una

Accubuere toris multi communibus: ingens
Nam viridi sese tendebat gramine pratum.
Butomon hinc foliis pars carpere certat acutis,
Et conferre: secant alii, rapiuntque cyperum.
At flavus discedit Hylas, dulcemque requirit
Fontis aquam, latices Alcidæ ad pocula, & ipsi
Laturus Telamoni, ambo qui semper eadem
Consuerant socii dulces considere mensa.
Urna manu in pueri stat ahenea: jamque repertum
Sub tumulo fontem declivi conspicit. herbæ
Undique funduntur variæ, totumque coronant
Cæruleumque chelidonium, viridansque adiantum,
Pubentesque hederæ frondes, crispataque agrostis.
In medio nymphæ ducebant fonte choreas,
Insomnes nymphæ, miseris metuenda colonis
Numina, & Eunice, Malisque, & pulcra Nychea
Ambrosium referens obtutu veris honorem.
Ergo haurire parans magnam demiserat urnam
Heu puer infelix; nymphæ quum protinus omnes
Complexæ manibus subter traxere paventem:
Namque omnes Amor unus agit, furor omnibus idem
Argivum in puerum. nigrantes pronus in undas
Ille cadit cælo veluti quum stella sereno
In mare præcipitat rutilans, nautisque magister,
Ponite, conclamat, rite arma; en aura secunda.
  At puerum nymphæ lacrymantem mollibus instant
Vocibus affusæ solari, udoque fovere
In gremio acceptum; dum contra exterritus amens
Alcides, nondum redeuntem lumine cernens,
Continuo scythicumque arcum furibundus & ærem
Corripuit clavam, dextra quam semper habebat;
Exiliitque acer; puerum ter nomine carum

Ingeminans, quantum potuit contendere vocem.
Ter clamavit, Hyla; ac sonitum puer audiit imo
Gurgite ter missum, tenuisque exivit ab undis
Reddita vox, spatio ceu longo advecta sonaret,
Ipsa foret vicina licet. tum faucibus asper
Ille leo veluti siccis, si quando rudentem
Audiit hinnuleum longe, cervice comantes
Attollitque jubas, notoque erumpit ab antro
Sese epulis cupiens quamprimum explere paratis:
Sic puerum quærens auditum, sentibus aspra
Perque loca Alcides fertur, perque invia lustra
Turbidus, ac tota late regione vagatur,
Heu nimium miseros, torret queis pectora flammis
Sævus Amor! quos ille vagus circum undique saltus,
Quæ juga lustravit demens & Jasone & omni
Posthabita cura? jam prono in litore stabat
Navis, & antennis suspendere vela parabant
Jam nautæ, media frustra dum nocte morantem
Alcidem expectant, qui quo furor intus agebat,
Ibat inops animi. tanto Deus ilia fixit
Vulnere, acidalio telum jaculatus ab arcu.
Sic formosus Hylas æternæ munere vitæ
Lætus ovat: socii Alciden nec carpere dictis,
Nec cessant culpare, citam quod turpiter Argos
Spumea calcantem ter denis æquora transtris
Deseruit profugus, pedibusque ad Phasidis oras
Venit, & immanes ad inhospita nomina Cholcos.

IDYLLIUM XIV.

Civicum potius est, quam pastoritium hoc carmen, in quo Æschines amico Thyonico narrat, ut eum Cynisca uxor Lupo cuidam adolescenti in amore posthabuerit, effugeritque e domo. Quamobrem & militare se decreviſse dicit.

ÆSCHINES, & THYONICUS.

TE jubeo multum salvere, Thyonice. *T.* salve,
Æschine. *Æ.* quam serus? *T.* Sic est. quæ cura fatigat?
Æ. Haud agitur recte. *T.* quidni? macrescis, & ore
Barba inculta horret, squallentque in fronte capilli.
Talis Pithagoræ de Secta huc venerat hospes,
Pallidus, exutusque pedes: jactabat Athenis
Se genitum, sed dona magis cerealia avebat.
Æ. O bone, tu ludis. sed me formosa Cynisca
Dedecorat. jam jamque furo, vix deficit hilum,
In medio. *T.* talis tu semper es, Æschine; lenis,
Mox asper, cupiens recta omnia. dic tamen, ista
Quæ nova cura tibi, quæ tanti caussa doloris?
Æ. Argivus meus hospes, egoque. & Thessalus ille
Apis equum domitor, Cleonicus & impiger armis
Rure meo læti potum consedimus una.
Mactaram pullosque duos, niveoque madentem
Lacte suem, vinumque illis prædulce relevi
Byblinum, odoriferum, quadrimum, ut nuper ab ipso
Diffusum prælo. cochleæ bulbique salaces
Haud deerant, nimium dulcis potantibus esca.
Jamque in processu pariter convenimus omnes,

Suave merum cyathis ut quisque capacibus ultro
Hauriat, & nomen prodat, cui vina propinet.
Ergo hilares potamus, & alta voce sonamus,
Quod placitum cuicumque. nihil dicebat at illa
Me præsente. fuit quis nostro in pectore sensus?
Non loqueris? subitoque, lupum num videris, alter
Dum poscit de more jocatus; & arsit, & ore
Ipsius ardenti tædas incendere posses.
At Lupus ille, Labæ Lupus est de sanguine cretus
Vicini, longusque, tenerque; idemque videtur
Formosus multis. insigni ardebat amore
Illius, idque mihi tulerat clam fama per aures;
Quærere sed renui, nequidquam tantus inanem
Ore gerens barbam hanc. postquam vero bene poti
Nos quatuor socii fuimus, tum Thessalus ille
De nostro cantare Lupo, sermone paterno,
Nescio quod carmen cœpit malus. illa repente
Ingemuit gravius, quam sexto parvula in anno
Nata petens caræ gremium genitricis & ora.
Tunc ego, quem duco te nosse, Thyonice, pugnum
In faciem, rursusque alium correptus ab ira
Impegi; fugit illa, sinus collecta fluentes,
Erumpitque foras. sic o tibi, pestis acerba,
Haud placeo? carusne sinu magis alter inhæret?
I licet, atque alium foveas lasciva per umbras,
Illi hæ poma tuæ lacrimæ ceu grandia manant.
Ipsa, velut, nidis quæ fida loquacibus escam
Intulit, extemplo quærens nova pabula hirundo
Evolat e tecto; se strato e tegmine raptim
Proripuit, biforesque inverso cardine valvas,
Qua rapidi duxere pedes, furibunda reliquit;
Utque vetus fert fama, in sylvam & taurus abivit,

Jam

Jam luces bisdenæ, octoque, novemque, decemque
Rursum aliæ fluxere; hodie est lux denique nata
Undecima: huic geminas super adde, & tempora mensis
Efficies bini, quo nos disjungimur ambo,
Threïcio nec more comam de fronte totondi.
Illa Lupi nunc tota; Lupo fert gaudia nocte.
Nos Megaræ sine honore, sine ullo & nomine cives
Degimus heu miseræ semper ludibria sortis.
Quod si etiam obniti, contra & durare valerem,
Cura foret levior; sed nunc de mure quod ajunt,
Dulcis amice, picem gustavimus, & quod amoris
Sit lenimen, adhuc nos ultra haud nosse fatemur,
Solliciti. qui natam Epichalci Simus amabat
Æquævus meus ille, ut dissita classe petivit
Litora, mutatus rediit. per cærula & ipse
Ibo alacer: nec primus ero. nec miles in armis
Ultimus; in mediis numerabor forte maniplis.
T. Ut cupis ipse, tibi sic cedant omnia vota,
Æschine. si certum est alias hinc tendere ad oras,
Didit opes large Ptolemæus, libera curat
Pectora nec quisquam tantum. *Æ.* sed cetera qualis?
T. Lenis, & Aonidum studiosus, amabilis, ultra
Spem jucundus, amicum noscit, & ipsum
Plus inimicum etiam. multis dat multa rogatus,
Qualia fas regem largiri: nec tamen illum
Sollicitare novis decet usque ad munera votis,
Æschine. quare adeo placeat si fibula, summam
Dextro humero chlamydem quæ rite coërceat, & si
Rectus utroque audes pede contra irrumpere scutum
Militis adversi pelago pete fida Canopi
Litora. paullatim canescere tempora cuncti

Incipimus, serpitque genis mox fusa senectus
In niveis: quum genua virent, tunc apta labori.

IDYLLIUM XV.

In hoc Idyllio quædam Syracusiæ mulieres inducuntur inter se colloquentes, & festum Adonidis invisuræ. Multis personis constat Idyllium, estque totum drammaticum, nativa quadam simplicitate maxime commendandum.

Gorgo, Eunoa, Praxinoe, Anus, Hospes, alter Hospes, & Vates.

Praxinoe-ne domi? *E.* tam sera, o candida Gorgo?
Sola domi est. *P.* mirum, vel nunc venisse: moraris,
Eunoa? da sellam, pulvinumque. *E.* omnia præsto.
P. Ergo sede. *G.* o fortem! quæ salva evadere quivi,
Praxinoe, præ turba, & curribus undique fusis.
Cuncta sonant ocreis, chlamydatæ & murmure pubis;
Ipsa autem via multa; hinc longo tramite disto.
P. Extremum hunc terræ fatuus tenet ille recessum;
Antra magis, quam tecta: simul ne sæpe coire
Possimus nos inter, acerba atque invida pestis.
G. Talia parce tuo de conjuge, cara Dione,
Heic puero præsente. viden', te ut lumine cernit?
P. Fide, o Zopyrion, carum genus: haud mea patrem
Dicta petunt, *G.* Sensit, sic me Proserpina servet,
Sensit cuncta puer. Pater est pulcherque bonusque.
P. Ille pater paullo ante (licet nam dicere cuncta
Facta quidem paullo ante) nitrum dum forte volebam
Consuetum & fucum, tulit ipse coëmpta nigrantis

Grana salis, cubitis jam denis longior artus.
G. Sic etiam meus ille, lues nummûm, Dioclides
Septenis evulsa canum de corpore drachmis,
Non ovium, corrosa emit mihi vellera quinque,
Purgamenta, meras sordes, duplicemque laborem.
Verum age formosamque stolam cape, & aurea nectit
Fibula quam late, pallam. juvat ire superbas
Divitis ad sedes Ptolemæi regis, Adonin
Visuras, cui pulcra novæ spectacula pompæ
Dicitur insueto luxu regina parare.
P. Cuncta domo in ditis sunt ditia. quæ tibi visa,
Et quæ dicta, mihi quæ nil vidi, omnia narra.
G. Ire quidem nunc præstat: inertibus otia semper.
P, Eunoa, fer lymphas; medioque infundere cures
Vase tenus. depone. ipsæ quoque mollia feles
Strata volunt. necdum o semper morosa moveris?
Lymphas, fer propere lymphas, queis indiget usus
Ante alia. ut portat? da protinus: heus male tantam
Fundis aquam; tunicam cur totam spargis, inepta?
Desine. ceu Superi voluere, en fonte rigavi
Membra satis. magnæ jam cistæ ubi clavis? eamdem
Ocyus huc. G. nimium decet hæc te vestis, amica,
Fibula quam circum sinuosam plexibus ornat.
Dic, pretio quo texta jugo tibi venit ab ipso?
P. Ne memores, Gorgo: plus mna, fermeque duabus
Argenti puri. vix non affixa labori
Ipsam etiam posui vitam super. G. at bene cessit.
P. Næ: recte dixti. fer pallam, & pone decenter
Flammeolum. non te ducam, mi nate: foris stat
Larva, ac mordet equus. tu fleto quamlibet orans,
Haud patiar fieri claudum. jam denique eamus.
Heus, Phrygia, accipiens puerum fac ludat, & istam

Hinc catulam revoca; portamque occlude domorum.
Proh Superi! quæ turba? ecquando hæc agmina, & arte
Qua liceat transire malum? glomerantur ut atræ
Formicæ numero expertes. sunt plurima recte
Gesta tibi, Ptolemæe, pater postquam alta petivit
Astra Deûm! nemo subiens offendit inermem
Fraude viatorem, patrium male subdolus astum
Exercens velut ante, viri quum turpibus usi
Insidiis se inter similes rixaque procaces
Omnibus instabant nocuos intexere lusus.
De nobis quid erit? jam turmæ regis equestres
Huc properant. calces cave, amice. en rectus ad auras
Ille salit jam rufus. ut asper, & incitus ira est!
Eunoa, non fugies? equitem dabit ille vel ipsum
Exitio. o factum egregie, quod natus in æde.
G. Praxinoe, nunc fide: sumus post agmina retro;
Jam campum petiere. *P.* animum simul ipsa recepi.
Namque duo hæc timui puerili semper ab ævo, (quæ
Anguem, & equum. circum resonans multa ecce propin-
Turba iterum: celeremus. *G.* ab aula, o mater? *A.* ab aula.
G. An penetrare licet? *A.* conando Pergama Graji,
O nata, attigerunt: conantibus omnia cedunt.
G Cessit anus, tripode ex ipso ceu fata loquuta.
Omnia noverunt vetulæ: novere vel ipse
Juppiter in thalamum Junonem ut duxit amatam.
Aspice, pro foribus quanto furit agmine turba?
P. Immensa, o Gorgo: mihi dextram porrige; tuque
Eunoa, prende manus Eutychidos, & simul olli
Hære affixa, usquam ne longe abrepta recedas.
Omnes confertim subeamus. ubi Eunoa? adhære.
Me miseram, Gorgo! scissum est a vertice velum
In geminas partes. serva, tibi Jupiter adsit,

O bone vir, pallam. *H.* vix possim; nec minus ipſo
Servabo. *P.* quam magna ruentum est unda? sues ceu
Præcipites trudunt. *H.* confido: evasimus undam.
P. Dii tibi dent semper posthac felicibus uti
Auspiciis, qui nos juvisti, & providus ultro,
Et facilis. premitur nobis en Eunoa; rumpe,
Infelix, vim vi. bene sit: qui limina sponsæ
Claudit, ait, cuncti sunt intus. *G.* suspice primum,
Quam tenui hæc filo contexta aulæa coruscant,
Praxinoe; quam pulcra; putes opera esse deorum.
P. O Pallas! quæ fila manus tam dædala nerunt
Lanificæ, tales quis pinxit ab arte colores
In variis late formis? stant omnia viva
Ante oculos, motuque ipso gestire videntur
Non texta, at potius spirantia. magna deorum
Munere mens homini, magna est super addita virtus.
Ipse autem quam pulcher in alto tegmine fultus
Argento e niveo, prima lanugine spargens
Ora, jacet, stygiis etiam dilectus in umbris,
Ter nimium dilectus, & exoptatus Adonis.
A.H. Desinite, o miseræ; quid tam garrulibus auras
Rumpitis? Ipsa etiam vobis jam garrula turtur
Cedit; cur patulo voces sic ducitis ore?
G. Heus tu, quisve, vel unde? an si garrire voluptas,
Non licet? ancillas potius parere jubeto.
Tune Syracusiis audes dare jussa? Corinthus,
Hoc etiam ut noscas, nos prima a stirpe Corinthus
Protulit, illa eadem quæ fortem Bellerophontem.
Nos veteris patriæ loquimur sermone, nec unquam
Dorica dedecuit sermonis gratia Dores.
P. Haud erit, o mellita, reor, qui talia nobis
Imperet, excepto tantum uno, non mihi cura

Ulla tui; nec dicta moror, nec munera poſco.
G. Praxinoe jam cara ſile. cantabit Adonin,
Cantabit ſapiens Argiæ filia Vates,
Quæ quondam & Sperchin lugendo præmia cepit.
Dulce parat pulcrumque aliquid: proludit ab arte.
V. Quæ regis Idalium Golgonque o maxima diva
Sublimemque Erycem gaudens Venus aurea ludo,
O tibi nunc qualem plantis tardantibus Horæ
Tartarei ſubter nigranti Acherontis ab unda
Poſt annum retulere ſacra ad ſollemnia Adonin;
Horæ, diis tardæ magis omnibus, omnibus Horæ
Quæ tamen & veniunt optatæ, & præmia portant.
Cypri, Dioneæ matris pulcherrima proles
Tu Divûm in numero Berenicen diva locaſti
Ambroſiæ inſtillans, ut fama, in pectora ſuccos.
Quare etiam nunc grata tibi, quæ nomine gaudes
Multiplici, templiſque novis, nata ipſius almæ
Tyndaridi Arſinöe ſimilis regalibus ornat
Muneribus, celebratque tuum ſic dives Adonin.
Namque illum juxta, quæcumque arbuſta tulere,
Poma jacent matura; leves ſtant mollibus horti
In calathis ſepti argento; ſtant plena alabaſtra
Aſſyrio unguento, quantum & miſcere ſaporum
Femineæ novere manus cum germine florum
Omnigeno, Cerere & nivea; ſtat quidquid olivo
E liquido, quidquid fit dulci e nectare mellis.
Heic adſunt, repuntque imo quæ gramine, quæque
Alta volant: molli circum viridantia anetho
Funduntur ſublime exſtructa umbracula; Amores
Aligeri ſupra volitant, ut in arbore pulli
Dauliados, tremulis quum tentant aëra pennis,
Nunc hos nunc illos certant inſidere ramos.

O ebenum, o aurum, volucres o dente elephanti
E niveo insignes aquilæ, quæ cærula supra
Templa Jovi pulcrum Ganymedem ad pocula portant!
Purpurei rutilant ſuprema in parte tapetes,
Quos dicat somno mage molles & Samos omnis
Et Miletus, opus genti mirabile utrique,
Formoso torus alter Adonidi stratus, & alter
Est Veneri: tenet hunc Cytherea, hunc pulcher Adonis
Nondum bis decimo pubescens sponsus in anno,
Sed minor aut binis, aut uno. en brachia tendit
Sparsa rosis, tollitque labella, haud oscula pungunt
Mollia flaventis primo vix flore labella.
Nunc sponso Cytherea suo gavisa fruatur:
Nos illum ad fluctus, dum ros per gramina candet,
Litoris undisoni rosea cum luce feremus
Agmine condensæ; vittisque in fronte solutis
Demissisque peplis ad talos, nuda gerentes
Pectora, luctifico dicemus carmen ab ore.
Scilicet heroum, ceu fama est, solus, Adoni,
Tu superas visisque auras, Acherontis & umbras;
Non magno Atridæ, non hæc data munera forti
Ajaci; non, bisdenos Cysseidos inter
Maximus egregiæ natos qui floruit, acri
Priamidæ, aut Patroclo, Pyrrhove ex urbe reverso
Dardania victori; ipsis non, tempora prisca
Quos tulerunt, Lapithis, aut Deucalione creatis,
Non generi Pelopæo, aut Argi in honore Pelasgis.
Sis bonus o, placidusque tuis; ac rursus, Adoni,
Lætitiam nobis alio fer redditus anno.
Venisti lætus, redeas & lætus, Adoni.
G. Praxinoe, quam mira auditu hæc carmina, felix,
Tanta datum cui nosse; o felix, dulcia tantum

Carmina quæ fundit vates! ſed tempus abire:
Impranſus mihi adhuc Dioclides: aſper in ira,
Terribiliſque furit. non illi accedere coram
Jejuno ſperes impune. vale, o vale, Adoni,
Atque iterum lætus nos lætas uſque reviſe.

IDYLLIUM XVI.

CHARITES.

Videtur hujuſce Idyllii argumentum eſſe conſueta poëtarum nœuia, nimirum fructum, quem percipere ſperarunt, non reſpondere votis; quod homines vel nimium avari ſint, vel turpi inſcitia teneantur, neque pervideant, quantam aſſequi gloriam potuiſſent ex poëtarum laudibus. Demum in Hieronis laudes famamque bellicam excurrit Vates.

Hæc habet & Muſas, & ſemper cura poëtas,
Carmine perpetuo divos celebrare, viroſque
Eximios fama. Muſæ ſunt numina, cantu
Numina concelebrant; at nos mortalia ſecla
Mortales. quiſnam vero, quas roſcida ſpectat
Conjugis e roſeo ſurgens Aurora cubili,
Nunc hominum e cœtu, patefacto limine, noſtras
Accipiat cupide Charites, nec turpiter actas
Retrorſum potius cogat ſine munere abire?
Illæ autem iratæ nudo pede tecta reviſunt,
Meque etiam incuſant quod longæ tædia juſſi
Fruſtra ferre viæ. jamque iſtæ corda dolore
Mœrenteſque gemunt, imaque in ſede recumbunt
Genua reclinantes ſupra frigentia frontem,

Squallet ubi latebrosa domus; quod cessit in auras
Spes omnis dilapsa, & cura fefellit inanis.
Namque ubi nunc doctæ moveat quem gratia linguæ,
Haud equidem novi. neque enim præstantia facta
Jam sua laudari quisquam cupit; omnibus hærent
Corda lucro devincta, omnes amor urget habendi.
Quisque sinu dextram condens, unde undique possit
Congerere argentum, cupidus circumspicit, ipsas
Et dare permetuit detersa ærugine sordes,
Continuo clamans: mage curvo tibia distat
Ima genu; sit habere mihi quæcumque paravi,
Cuncta uni: faciant vatem ditescere Divi,
Quis jam alium curet? cunctis satis unus Homerus;
Optimus ille quidem vatum est, qui præmia nulla
Accipere exstinctus dulci pro carmine sperat.
Heu miseri! prodest quid fulvi immensa metalli
Vis intus congesta: haud hic sapientibus auri
Usus erat; tibi pars servetur, debita vati
Pars alia est. partem sepone affinibus ipsis,
Atque aliis hominum multis: sacra usque beatis
Dis facias variis cumulans altaria donis,
Nec parcas bonus hospitio, sociaque receptos
Foveris ut mensa notos, sine rursus abire,
Quandocumque volent. in primis cura poëtas
Sit colere, Aonidum pleni qui numine cantant;
Ut Stygias etiam te fama sequuta sub umbras
Digna sonet nigri gelidas Acherontis ad undas,
Neve fleas sine honore, aliquis ceu fossor, adunco
Cui squallet callosa manus durata ligone,
Pauperiem queritur secum, miseroque relictam
A genitore famem plorans & tristia damna.
Multi & in Antiochi tectis, & regis Alevæ

Menstrua præbebant epularum dona ministri:
Multi etiam Scopadum præsepia ad alta juvenci
Implebant resonis auras mugitibus una
Cornigeris cum bobus; & alto solis in æstu
Pascua mutabant Cranonia mille Creondis
Errantes per prata greges, gaudentibus usque
Hospitio facili. non hinc tamen ulla voluptas
Afforet, horrentem postquam subiere carinam
Exanimes Stygiam jussi transire paludem.
Ignavi sine laude ulla, tantisque relictis
Frustra opibus post se, turbam vulgi inter inertem,
Atque inopes umbras per sæcula longa jacerent,
Clarus ni vates, & multa dædalus arte
Ceïus arguto celebrasset pectine famam
Dulcisonæ impellens testudinis aurea fila,
Victurumque per ora nepotum sera dedisset
Ferre decus. magnus quin & victoribus ipsis
Partus equis honor est, qui sacro e pulvere sæpe
Læta coronati dominos in tecta tulere.

Quis proceres nosset Lycios, quis pulcra comantes
Priamidas, Cycnum & formæ muliebris honore,
Ni prisca heroum cecinissent prælia vates?
Nec Laërtiades, qui centum ex ordine menses
Bisdenosque super circum maria aspera vectus
Omnibus erravit terris, subiitque nigrantem
Vivus adhuc orcum, fugitque e rupe Cyclopis,
Ferret inexstinctæ famæ decus: ipse subulcus
Eumæus tacita noctis premeretur ab umbra,
Atque boum servans armenta Philetius ille
Impiger, & magnus Laertes, fortis in ipso
Vel senio, ni fors juvisset Ionica musa.

A musis venit omne decus mortalibus: aurum

Quod fuit, abſumit lætus vivacior hæres.
Par labor eſt alto numerare e litore fluctus
Quam multos ventus propellit ab æquore ad oras,
Impurum aut laterem lucenti in fonte lavare;
Ac hominis ſperare inflectere pectus avari.
 Ergo mihi valeat talis quicumque: ſit illi
Immenſumque argentum aurumque; ac ſemper habendi
Plura miſer magno fruſtra teneatur amore.
Ipſe quidem contra famamque hominumque favorem
Anteferam ſtabulis reſonantibus agmine multo
Quadrupedum; quæramque, olim cui gratus amicis
Cum muſis veniam: non prona aut trita ſonantum
Aonidum via nempe Jovis ſine numine magni.
Sed nondum menſes & longos deſiit annos
Volvere ſidereum cælum; multique ſequentur
Ducere equi volucreſque rotas currumque tonantem;
Naſceturque vir ille, meum qui carmen avebit
Tanta gerens, quanta aut Ajax aut magnus Achilles
Victor apud rapidum Simoenta, ubi marmore buſtum
E niveo phrygii conſurgens tollitur Ili.
Jam nunc Phœnices procul hinc ſub ſole cadente
In Libyæ extremis degentes finibus horrent;
Jamque Syracuſii clypeo protecta ſaligno
Brachia habent, mediaſque haſtas in bella coruſcant;
Quos inter non ulli Hiero virtute ſecundus
Heroum quondam magnorum armatur; equinæ
Funduntur que jubæ, galeamque minacis inumbrant.
 O pater, o magno Pallas prognata parente,
Tuque tua cum matre, opibus quæ clara ſuperbis
Lyſimeliæ ad aquas ephyreïa mœnia ſervas,
Perſephone, noſtris per vos e finibus hoſtes
O utinam mala fata procul Sardoa repellant

Per freta disjectos, sociorum ut damna suorum
Conjugibus natisque ferant horrentia multo
E numero jam pauci. utinam sua civibus alta
Oppida, & antiquis cedant cultoribus urbes,
Hostica quotquot atrox vastavit funditus ira;
Et virides campi vigeant, & pinguia campis
Mille ovium late florentibus agmina balent,
Turmatimque boves reduces e gramine plena
Ad stabula impediant iter omne, & cedere fessum
Sæpe viatorem cogant. ad germina læta
Jam labor exercens exculta novalia scindat;
Pastores sub dio observet nigra cicada,
Quum resonat summis in frondibus arboris altæ;
Inque armis patulas extendat aranea telas,
Ipsaque dediscant jam belli nomina gentes.
At vates certent Hieronis tollere cantu
Et decora & laudes Scythici trans frigida ponti
Litora, & extremos fines, ubi maxima quondam
Dicitur asphalto vinxisse Semiramis urbem,
Unus ego quos inter ero; licet aurea musæ
Progenies Jovis alti alios jam numine multos
Respiciant vates, ardor quos incitat omnes
Et Siculam celebrare Arethusam, & dicere cantu
Indomito cum Marte Hieronem in bella ruentem,
O Eteocleæ Charites divæ, Minyæum
Quæ quondam Orchomenum Thebanis triste frequentes
Incolitis, tacitus latebrosa in sede morabor
Haud accitus ego: contra si forte vocabor,
Adveniam nostris cum musis impiger una,
Vos etiam nec linquam. homini quid amabile namque
Esse potest Charisin sine dulcibus? usque sequantur
Me Charites, propiusque bonæ vestigia servent,

IDYLLIUM XVII.

ENCOMIUM PTOLEMÆI.

Altius heic assurgit poeta, regemque Ægypti Ptolemeum Philadelphum praesertim ex generis nobilitate, ex immensa ditionis potentia, ex amplissima divitiarum copia, regiaque munificentia laudat.

Ab Jove principium, Jove in almo carmina finem
Accipiant, Musæ, quoties pater optimus ille
Cælicolum canitur: mortales inter & omnes,
Quippe aliis præstat, Ptolemæus laudibus usque
Supremusque mihi imprimis mediusque feratur.
Heroes, tulerunt quos olim sæcula prisca
Semideum de gente, pares ingentibus orsis
Invenere virum sapientum e carmine laudes.
At meritum dulci Ptolemæum haud inscius ipse
Aonidum cantu tollam: dii carmina curant,
Carmina diis etiam virtutum præmia grata.
Sed veluti arboreis qui nigræ in collibus Idæ
Adstitit, ingentem cernens late undique sylvam
Hæret inops animi, cœptet faber unde laborem;
Sic ego quid primum dicam, quum millia multa
Sint dicenda, quibus voluere excellere regem
Hunc superi? qualis primæva ab origine patrum
Ille fuit Lagides? magnum quam semper ad omne
Fortis opus tentandum, animo postquam acre probasset
Consilium non visum alii? sic maximus illum
Æqualem superis genitor diis fecit, & olli

Ipsius in regis penetralibus aurea sedes
Contigit. hunc juxta pacata in luce refulget
Dius Alexander Persis grave numen in armis.
Contra autem Alcidæ solido ex adamante coruscat
Strata super sedes occisi tergora tauri
Ducit ubi effusos inter convivia divos
Aspiciens clara lætus de stirpe nepotes,
Queis senium e membris detersit Jupiter, ævoque
Immortali una tranquilla in pace fruuntur.
Ambobus generis nam filius Herculis auctor
Hylus, & extremo deductus ab Hercule sanguis.
Quare & odorato satiatus nectare quondam
Conjugis ad sedes caræ quum tenderet, arcum
Ferre alii, pharetramque dedit suspendere tergo,
Ast alii indomitam nodoso robore clavam.
Illi autem ambrosiæ progressi limina ad Hebes
Arma simul thalamo, simul ipsum inducere gaudent.
Qualis & eximias inter celeberrima matres
Præstitit illa ingens Berenice cura parentum?
Cujus diva, tenet quæ Cyprum, gnata Diones,
Nascentis gremium manibus permulsit odoris
Flexanimos fingens mores, queis altera numquam
Nympha suo tantum fertur placuisse marito,
Quantum ipsam semper caram Ptolemæus amavit
Ille magis dilectus amata a conjuge. natis
Jamque suis fretus totam permittit habendam
Sponte domum, thalamum quoties ascendit amantis
Dulcis amans. quid nupta, mali cui pectore sensus?
Namque alio illius mens usque ingrata vagatur;
Nec faciles desunt partus, sed germina nata
Degenerant patrum vultus oblita suorum.
O Venus, o forma ante alias pulcherrima divas,

Illa tibi fuerat curæ: te propter eandem
Luctificum Berenice Acheronta haud lumine vidit;
Sed prius ad nigri venit quam gurgitis undas,
Tristis ubi cogit pallentes portitor umbras,
Abreptam in sublime sacrata in sede locasti
Nec socii templi, proprii nec honoris avara.
Et nunc illa quidem blandos mortalibus ignes
Omnibus adspirat, curasque vocata resolvit.
Lumine tu nigro spectanda argiva puella,
Quem timuit Calydon, fortem Diomedea partu
Fudisti Tydeo commixta. at Achillea Peleo
Aeacidæ dedit alma Thetis cursuque valentem
Et jaculo; Berenice autem te pulcra parenti
Magnanimo Ptolemæo magnanime o Ptolemæe.
Teque adeo puerum Cos ultro excepit amata
Accipiens a matre, hausisti ubi parvulus auras:
Namque ibi Lucinam curarum in vota petivit
Antigonæ soboles uteri jam pondere pressa.
Audiit orantem lenis, repulitque dolorem
Artubus e cunctis; vitæ est exortus in oras
Assimilis genitori infans. mirata repente
Cos plausit, natumque tenens ita voce loquuta est.
Sis puer o felix, meque illo lætus honore
Affice, cæruleam quo Delum affecit Apollo;
Et Triopis juga celsa eadem jam fama sequatur,
Vicinosque simul Dores, qua clara superbit
Rhenæa auricomo dilecta ab Apolline rege.
Insula sic postquam fata est, Jovis ales ab alto
Insonuit ter voce ferens e nubibus omen
Dextra bonum; regis nam digni cura Tonanti est.
Ille autem, quemcumque pater dignatur amore
Nascentem primum, cunctis excellit, & ipsum

Innumeræ comitantur opes, & poſſidet amplas
Multa per & terras, multa & per marmoris undas.
Sunt variæ gentes, vaſtum ſunt regna per orbem,
Quæ ſegetes gignunt largas Jovis imbribus aucta;
Aſt humili Ægypto ſeſe fœcundior ulla
Præferat haud regio, quum diti gurgite Nilus
Exundans late mollitos irrigat agros.
Non alius tam multa virum generoſa labore
Oppida habet, claraſque urbes: ſunt ſcilicet omnes
Ter centum ter denæ olli terque ordine ternæ
Triginta ſupra tria millia, quas regit unus
Tot populis ſceptriſque potens Ptolemæus; & ipſum
Phœnicumque Arabumque ſimul pars magna tremiſcit,
Et Syriæ, Libyæque, atque Æthiopum nigrantum.
Pamphylios autem, & Cilicas, Lyciosque feroces
Ingenti premit ipſe omnes ditione, Ceraſque,
Cycladas & pelago ſparſas: nam claſſibus æquor
Velivolum validis complet, queis occupat omnem
Et pontum, & fluvios, & vaſti littoris oras.
Quid memorem turmaſque equitum, protectaque ſcutis
Agmina, quæ denſata fremunt, atque ære coruſca
Solis inardeſcunt radiis? longe anteit omnes
Divitiis reges ingentibus: undique rerum
Quotidie aggeritur vis tanta in tecta, nec ullum
Interea populis ſollerti in pace beatis
Ceſſat opus. nemo piſcoſum invadere Nilum
Scilicet, ac trepidis acies inferna pedeſtres
Agricolis audet; nec quiſquam Ægyptia raptat
Prædo armenta boum celeri per littora lembo
Exiliens, thoraca indutus, & horridus haſta.
Talis quippe ſedet latis cuſtodia campis
Flavicomus Ptolemæus in hoſtem & ſpargere tela
Ims

Impiger, & patriis arcere a finibus arma,
Tutarique, prior quæ regum est cura bonorum,
Parta domi; mox marte fero nova quærere regna.
Nec vero congesta auri vis tanta sine usu
Sedibus in plenis jacet usque, ut gaudet avarum
Formicarum agmen parta occultare latebris;
Sed multum hinc referunt delubra augusta deorum,
Primitias ultro queis solvit, & insuper aras
Muneribus cumulat largis; multumque reportant
Et socii reges, & celsæ turribus urbes.
Multa quoque & dignis semper donantur amicis,
Nec sacra fert quisquam sese ad certamina Bacchi
Suaviloquo doctus modulari gutture carmen,
Quin pretium referat dignum arte. hinc tollere cœlo
Musarum interpres vatum chorus omnis eumdem
Adproperat; neque enim diti præclarior ulla
Res homini, quam tuta insigni gloria cantu.
Hæc manet Atridas tantum: bona cetera, & illæ
Immensæ, capta Priami quas urbe tulere,
Nocte premuntur opes cæca, nequit unde redire
Pars ulla. hic veterum calcans vestigia patrum
Solus, adhuc calido signata in pulvere, vicit;
Et matri caræ patrique halantia templa
Condidit, atque ipsos ex auro & secto elephanto
Insignes statuit, miseris mortalibus essent
Auxilio ut faciles. multorum pinguia ad aras
Exsta boum, circum revolutis mensibus anni,
Rite litans incendit & ipse & candida conjux,
Qua non ulla virum mage clarum amplectitur ulnis
Idaliis flagrans in fratre & conjuge tædis.
Talia connubia ac tales celebrare hymenæos
Dii soliti, peperit Rhea quos regina futuros

Siderea reges cæli omnipotentis in arce;
Junonique Jovique torum Thaumantias unum
Stravit adhuc virgo manibus bene olentibus Iris.
Salve, rex Ptolemæe: mihi celebrabere semper,
Semidei qua laude alii, nec vile nepotes
Credo equidem carmen dicent: te supplice tantum
Ab Jove ne pigeat virtutem poscere voto.

IDYLLIUM XVIII.

HELENÆ EPITHALAMIUM.

Virgines Spartanæ, uti mos erat in Græcia, in Menelai domum congregatæ, multa canunt in honorem conjugum.

SPARTÆ olim flavi sede in celsa Menelai
Innuptæ juvenes hyacinthina serta gerentes
Ad thalamum venere choro lætante recentem,
Bis sex delectæ prima de gente Lacenæ,
Tyndaris Atridæ qua tradita nocte minori est.
Carmen idem cunctis, choreas juncto pede cunctæ
Plaudebant: læto sonuit domus alta hymenæo.
Siccine, sponse, cubas jam nunc sub vesperis ortum?
An tibi genua labant? an totas stertere noctes
Te juvat? an calices dormitum egere feraces?
Saltem isses propere solus, si forte soporis
Indigus, & sineres nymphis colludere nympham,
Materno hærentem lateri, dum fulgeat Eos;
Vespere tota tibi, tibi mane erit uxor in annos.
Fortunate, bonum tibi quisnam sternuit omen,
Sponse, procos inter primos cum mœnia Spartæ
Ingressus diæ peteres connubia natæ?

Fortunate: socer factus tibi Juppiter uni,
Nata Jovis magni tibi conjux contigit uni;
Vincit Achaïadas forma quæ pulcrior omnes.
Nascetur forma quiddam æquum cælitibus diis,
Si matrem referet formoso filius ore.
Sex decies quindenæ ævo florente puellæ
Ungimur Eurotæ prope flumina more virorum:
Harum nulla Helenæ possit collata probari.
Nocte velut sacra primo sub vere decorum
Flava caput ponti roseis attollit ab undis
Exoriens aurora; omni sic illa micabat
E numero æquales inter pulcherrima; firmis
Viribus illa omnes, procero & corpore præstans.
Sulcus ut in culto procurrit maximus arvo,
Surgens pomifero celsa ut cupressus in horto,
Thessalus ut sonipes currum fremit ante sonantem;
Sic Lacedæmonias inter fuit illa puellas,
Cunctis una decus, cunctis præstantior una.
Nulla operum melior, lentos implere quasillos,
Ducere vel radio varium subtemen acuto,
Dædaleaque manu partiri ac pingere telas.
Nulla ciet docto citharam sic pollice, festo
Et Triviam celebrat cantu magnamque Minervam,
Tyndaris ut blande flagranti dulcis ocello.
Dia puella domus posthac tibi cura, tuæque
Prolis erit: nos mane novo de more petemus
Et stadium & rapidi lætæ certamina cursus,
Carpentes prato in viridi beneolentia serta,
Usque tui memores, Helene, te sæpe vocantes,
Sæpe vocant teneræ matrem ut balatibus agnæ.
Nos loto ex humili primæ tibi rite coronam
Umbrosa in platano figemus, nos tibi primæ

Sub platano umbroſa ſtillabimus unguina ; in udo
Has Dorum & lingua ſcribemus cortice voces,
Quas legat aſpiciens oculo properante viator.
Arbor ſacra Helenæ ſum: me venerare, viator.
Salve nympha, gener ſalve Jovis inclyte. prolem
Latona eximiam, ſobolis Latona beatæ
Nutrix, det vobis; Cypris, Dea Cypris amorem
Det fidum; det opes divum rex Juppiter, & rem,
Quæ maneat gnatis ſeriſque nepotibus, amplam.
Vos modo dulce ſimul dormite, cupidinis ignem
Alter in alterius ſpirantes pectora; ſomno
Aurora excutiat, memoreſque amor incitet ambos.
Una omnes, plumoſa dabit per colla ſonoros
Gallus ubi cantus, nos prima huc luce reverſæ
Certatim læta dicemus carmina voce.
Hymen o Hymenæe, Hymen gaude o Hymenæe.

IDYLLIUM XIX.

FAVORUM FUR.

Ut apis, ſic Amor puſillus eſt; magnum tamen vulnus infigit.

Dum furtim alveolis ſubducit mella Cupido,
In digito iratæ ſpicula ſenſit apis;
Intumuitque manus, flevitque, actuſque dolore
Tundit humum, matri & monſtrat Acidaliæ,
Quantula apis quantum feciſſet vulnus. at illa
Subridens tales edidit ore ſonos:
Quidni? nonne apibus ſimilis, tu nate, puſillus
Qui tenera figis vulnera magna manu?

IDYLLIUM XX.

BUBULCUS.

Paſtor quidam, quum in urbem veniſſet, voluiſſetque Eunicen urbanam puellam deoſculari, ab eadem repulſus fuit atque irriſus tamquam indignus. Qua de re Paſtor in hoc Idyllio conqueritur.

Oscula me nuper defigere blanda volentem,
Eunice deriſit, & hæc ſuper addidit ultro
Increpitans. abſcede: mihi tun' ferre bubulcus
Oscula ſic audes! labris agreſtibus ora
Jungere non didici; mihi tantum urbana teruntur:
Non pol! ne in ſomnis formoſum os tangere speres,
Quos oculos, miſerande, geris? quæ verba profaris?
Ruſticus ut nimium ludis? vocemque palato
Volvis ut infracto? ut rictum diducis hiantem?
Vah tibi quam mollis barba eſt, pulcrique capilli!
Ægrotant & labra, manus & ſole nigreſcunt,
Et male oles. perdas ne afflatu, hinc ocyus ito.
  Hæc effata; ſuum ter conſpuit ipſa repente
In gremium, totumque pedes luſtravit ad imos
Torva tuens muſſanſque. hinc faſtu plena ſuperbo,
Luxurianſque inter riſus & ſprevit amantem,
Et repulit. mihi ſanguis acerba efferbuit ira,
Erubuique dolore, roſæ ceu rore rubeſcunt.
Jamque fugit miſerum linquens. ego pectore vulnus
Triſte gero, quod me contempſerit improba pulcrum.
  Dicite, paſtores, num ſim formoſus; an ullus

Mutavit, fecitque alium deus? ante vigebam
Eximius multo formæ florentis honore,
Ornabatque meas, ceu truncos arboris ornant
Pubentes hederæ plexu variante corymbi,
Barba genas; similisque apio per colla fluebat
Cæsaries; frons & splendebat eburnea nigro
Alta supercilio, poterant certare Minervæ
Glauci oculi, glauco quamvis Dea lumine pulcra est.
Mollius os presso mihi laɕte, & grata canòro
Vox dulci mage melle mihi manabat ab ore.
Suave cano, seu sumpta manu sit fistula, sive
Tibia; respondent calami, respondet avena
Flaventi cera compaɕta: omnesque puellæ
Montibus in nostris forma præstante fatentur,
Oscula nec renuunt mea ferre. hæc sola refugit
Scilicet, ac sprevit sylvestrem urbana bubulcum.
Quid? numquam audivit, Baccum pavisse juvencas
Vallibus in gelidis; Phrygiis & Cyprin amasse
Verticibus quondam, furiis immanibus aɕtam,
Pastorem? nonne illa suum per culmina Adonin
Læta sequebatur? non sylvis flevit in altis?
Endymion quis erat? non pulcher & ipse bubulcus?
Et tamen hunc virides ducentem armenta per agros
Cynthia dilexit, cælique e vertice sæpe
In nemus umbriferum venit furtiva. nec inter
Amplexus pueri longa requiescere noɕte
Abnuit. ipsa tuum pastorem candida ploras
O Cybele; puduit nec te, Saturnia proles,
Pro tenero pastore vagum olim errasse per antra.
Sola Eunice odit, nil curat sola bubulcum
Et Cybele melior, Cytherea & pulcrior, alma
Et Luna. placito numquam o potiaris amore,

Cypri, nec urbe, ipsis nec vana in montibus; usque
Sola cubes viduis per noctem frigida stratis.

IDYLLIUM XXI.

Asphalion piscator vana spe inflatus narrat hospiti nocturnum visum de pisce aureo, quo capto, somnians juraverat, se divitem jam factum, piscandi finem facturum. Cui hospes auctor est, ut omissis nugis, artem suam exerceat, si quidem inter aurea somnia fame perire nolit.

Asphalion, Hospes.

Pauperies, Diophante, artes ciet una, laborem
Una docet: nec enim longo indulgere sopori
Cura inopem sinit alta virum; sed dulcia somni
Dona ubi gustarit prima sub nocte, quietum
Sollicitat, morsuque animum pervellit acuto.
  Forte senes duo, squamigerum per litora nota
Venari genus assueti, de more cubabant
Strati corpora fessa simul vili super alga,
Textilis exiguo tuguri sub culmine, ad ipsum
Acclines textum ramorum, & frondea septa.
Intorti funes, algosum rete, sagena,
Et laquei, nassæque, & viminei calathisci,
Pellisque, & fulta exiguis antiqua tigillis
Cymba. caput subter stramen breve, tritaque vestis,
Tritus & ipse usu, vili de pelle, galerus:
Omnis erant hæc nempe illis censusque laborque.
Non ollamve, canemve habuere; ea copia justo

Major viſa etenim piſcantibus. una torique
Pauperies vitæque comes: veſtigia nuſquam
Ulla virum, aut vicina domus; ſed limen ad ipſum
Late diffuſi fluctus ſalis eludebant.

Nondum etiam bigas flectebat candida luna
Trans medium provecta orbem; piſcator uterque
Excitus eſt operis ſtudio, placidumque ſoporem
Expulit ex oculis; tum fari hæc incipit alter.
A. Mentitur quicumque, dies quum Juppiter auget,
Arctari dicit noctes, fierique minores:
Tot numero innumero vidi jam ſomnia, necdum eſt
Aurora. an fallor? quid monſtri hoc? quæ mora nocti?
H. Aſphalion, pulcræ æſtatis ne tempora culpa.
Non hæc tarda meat temere nox; cura quietem
Sed turbans tardamque facit longamque videri.
A. Dic mihi, conjectas tu ſomnia? ſomnia vidi
Nam bona; nec te, hoſpes, celarim: ſtat mea, captos
Partior ut piſces, partiri ſomnia tecum.
Mente vales acri: ſcrutari & pandere viſa
Optimus eſt, intus quem mens docet ipſa magiſtra.
Otia nec deſunt ſermoni accommoda. nam quid
Heic facias foliis male fultus litore in udo,
Et vigil hirſutis in frondibus, & ſine lychno?
Lychnus enim ſemper ſucco præpinguis olivi
Paſcitur, ut perhibent, Prytaneo in divite. *H.* Narra.
A. Feſſum operis primo quum cœpit veſpere ſomnus,
Nec dape corpus erat multa grave; nam breve quiddam,
Ut noſti, parce parci guſtavimus ambo;
Me mihi ſum viſus piſcantem cernere ſcabro
In ſcopulo; piſceſque ſedens ſpeculabar, & eſcam
Fallacem quatiens demiſi in arundine longa.
Grandior appetiit quam piſcis: nam ſibi cernit

Præsentem in somnis offam canis, ast ego pisces.
Ille quidem hærebatque hamo, tepidoque fluebat
Sanguine: mi curvata manus agitabat arundo,
Concutiens motu tremulo. certaminis ergo
Res fuit haud parvi, ferro retinere pusillo
Et trahere ingentem. subiit quoque vulnus; &, heus tu,
Men', inquam, feries? ego te feriam male! jamque
Luctando fessum arripui. sic omne peractum
Est opus. ecce autem video, mirabile monstrum,
Piscem auro e solido. subitus circumstetit horror
Attonitum, ne forte patri sacer Eunosigæo
Piscis, deliciumve foret flavæ Amphitrites.
Inde hamum eduxi paullatim cautus, ab auro
Ne quid decideret, ferrove hæresceret unco;
Et lino implicui, traxique ad litora victor.
Hic, præda exsultans, juravi, cærula numquam
Tacturum, in terra felicem aurique potentem.
Sic sopor est pulsus. cura hæc disquire sagaci
Visa, hospes. metuo juratus fallere divos.
H. Ne metuas: nec enim jurasti, nec tibi piscis
Aureus est umquam captusve aut visus. inanes
Nocte volant rerum, veluti mendacia, formæ.
Illa tamen vigilans loca si scrutabere, somni
Spe ducto obtigerit fors piscis carneus, inter
Aurea dura fames ne te jam somnia perdat.

IDYLLIUM XXII.

DIOSCURI *seu* GEMINI.

Duas in partes hoc Idyllium de laudibus Pollucis atque Castoris divisum est. In prima parte Pollucis pugna cum Amyco Bebryciorum tyranno describitur, victoriaque celebratur, quam retulit Pollux. In altera vero parte Castorem inter & Lynceum certamen initum, Leucippi filiorum ergo, continetur. Vincit Castor.

Vos, canimus, nati Ledae, magnique Tonantis
Castor, & insignis pugilum in certamine Pollux
Brachia taurinis semper circumdate loris.
Vos canimus bis terque satos Jove, mascula proles
Nymphæ Thestiados, fratres duo lumina Spartæ,
Auxiliumque viris extrema in clade ferentes,
Turbatis & equis per fœdos sanguine campos,
Et ratibus, quæ cælo ortumque obitumque timentes
Astrorum validis jactantur in æquore ventis;
Quum magnam a puppi tollentes flamine molem,
Aut etiam a prora, aut unde est sua cuique voluntas,
In navim insiliere, & utrinque labantia pulsant
Per latera. effracto disrupta arma omnia pendent
Cum velo; sequitur sub noctem maximus imber
Præcipitans cælo; ac fremitu sonat æquoris unda
Ventorum & furiis, lapidosa & grandine pulsa.
Vos tamen e fundoque rates attollitis imo,
Retrahitisque ipsos nautas e faucibus orci.

Tum venti posuere: maris placida unda residit,
Atque aliæ fugere alio per inania nubes,
Apparentque ursæ reduces, atque inter asellos
Sublucens præsepe viris læta omnia spondet.
O dilecti ambo, faciles mortalibus ambo,
Vos & equis citharaque & cæstu & carmine clari.
Castoris, an laudes dicam Pollucis? utrumque
Laudibus extollam; Pollux tamen ante canatur.

Jam concurrentes scopulos, atque horrida Ponti
Ostia nimbiferi fugiens superaverat Argo,
Bebryciasque, ferens divum genus, attigit oras.
Nec mora: Jasoniæ conferti navis utroque
Ex latere heroes descendunt pontibus altis,
Egressique toros sternunt per litora, & igni
Aptandos instant manibus versare lebetas.
At procul a sociis abiere per avia soli
Castor equis gaudens, & fusco lumine Pollux,
Immensamque nigro spectantes vertice sylvam
Invenere cavo præruptæ rupis in antro
Dulcis aquæ fontem irriguum, quem subter ab ima
Tellure exiliunt alii vena ubere rivi
Argento & pellucenti assimiles crystallo:
Populeæ circum frondes, pinusque virescunt,
Et platani steriles, & coniferæ cyparissi,
Atque ministrantes lætum per prata laborem
Melligeris apibus quotquot nascuntur odori
Vere sub extremo flores. heic ætheris axe
Sub nudo immanis vir sedem fixerat, ore
Terribilis; fractæ duris cui cæstibus aures,
Convexumque tumet pectus, spatiosaque terga
Obsita nigranti ferrugine, qualia magni
Pulsibus ostentant durati ex ære colossi.

Summo autem ex humero præstant robusta lacertis
Brachia nodosis, teretes ceu sæpe videmus
Stare alveo in sicco lapides, torrentibus amnis
Quos vexit violentus aquis, longumque revolvit.
Tum collum dorsumque infra villosa leonis
Pellis obit, nexuque pedum suspensa tenetur.
Huic pugilum victor Pollux ita fatus ab ore:
P. Quisquis es, o salve: quæ gens has incolit oras?
A. Ora ignota videns quî salvus degere possim?
P. Fide: nec injustos, nec iniquo e sanguine dices.
A. Fido equidem: neque enim hoc abs te mihi discere cura.
P. Efferus es, præcepsque furis, nimiumque superbis.
A. Talis sum, qualem cernis: non hæc tua tellus.
P. Nostra in tecta veni, donisque oneratus abibis.
A. Nec des ulla mihi, nec tu hinc tibi munera speres.
P. Anne sitim hoc etiam prohibes extinguere fonte?
A. Experiere, sitis si torqueat arida labra.
P. Argento, pretione alio dabis inde rogatus?
A. Tolle manus solum contra tu solus, & acer
Sta pugil adverso figens pede crura, oculosque
Arduus intendens non astu parce, nec arti.
P. Quisnam est, quem contra cæstusque & brachia tollam?
A. Heic prope cernis: eum haud vilem certamine nosces.
P. Anne etiam pretium, pro quo certabimus ambo?
A. Ipse tuus, tu noster eris, si vincere detur.
P. Tales sunt pugnæ cristata fronte volucrum.
A. Sive avibus mavis, seu forte leonibus esse
Assimiles, nobis hæc duræ præmia pugnæ.
Hæc Amycus; raucæque inflans curvamina conchæ
Insonuit: fusis semper per colla capillis
Ad sonitum Bebryces platani venere sub umbram,
Nec minus heroas celerans vocat ocyus omnes

Peliaca e navi Castor dux inclytus armis.
Illi autem, postquam taurinis fortia vinclis
Brachia cinxerunt, se circum & lora plicarunt,
In medio coëunt spirantes mutua fata.
Heic labor ingenti nisu premit acer utrumque,
Quis rutili accipiat post tergum spicula solis,
Aversamque tegat faciem? tu corpore magnum
Arte virum Pollux prævertis; & ictus acuto
Contra Amyci totus fulgebat lumine vultus.
Ille furens animi non se tenet, altaque ad ictum
Brachia protendit veniens, cui summa ruenti
Tyndarides ferit ora manu. verum acrior ipse
Quam prius ad pugnam se suscitat, & super instat
Incumbens, jam jam vasto ceu pondere terræ
Adlidat: læto Bebryces clamore sequuntur.
Parte alia heroes Pollucem hortantur, & ultro
Dant animos, pavidi, ne scilicet obruat illum
Vir Tityo assimilis campo congressus in arcto.
Tum vero ingeminans & læva & vulnera dextra
Hinc atque hinc raptim natus Jove versat, agitque
Præcipitem validam Neptuni e sanguine prolem.
Ebrius ille autem plagis, crassumque cruorem
Ore vomens stabat: superas it clamor ad auras
Heroum circum malas circum ora videntum
Ulcera dira, oculosque tumenti in fronte minores.
Fessum incendebat vanis assultibus heros
Undique proturbans: mox toto ut corpore sensit
Deficere, immani nares super irruit ictu,
Ac totam avulsit frontem tenus ossibus: ille
Saucius in viridi jacuit resupinus arena.
Heic tamen exoritur, postquam tellure levavit
Sese Amycus, rursum pugna aspera; namque furentes

Cæstibus indomitis alterna in damna feruntur.
Irrita sed contra jactabat brachia pectus
Cervicemque extra Bebrycum dux; victor at alte
Fœdabat Pollux indigno vulnere malas:
Jamque labant collapsi artus sudore, viroque
Parvus ab ingenti factus. viget ille laborem
Usque ferens melior membris, meliorque colore.
Qua tandem hoc monstrum natus Jove straverit arte,
Dic dea; nosti etenim: tantum ipse interpres ab ore
Expediam, velut alma jubes, placitumque volenti est.
Ille aliquod cupiens memorabile prodere factum
Implicuit læva lævam Pollucis, ab ictu
Declinans longe obliquus; subit inde, manumque
E latere attollens dextro, lateri arduus instat.
Fors & Amyclæum læsisset vulnere regem,
Ni caput avertens exisset, & insuper acri
Fregisset dextra tempusque humerumque sinistrum.
Continuo diffusus hianti e tempore sanguis
Emicuit; magno crepuerunt murmure dentes.
Tum magis atque magis pugnorum grandine malas
Vulnerat, ingeminans ictus, dum contudit ora,
Ora ambasque genas. quo sævo turbine stratus
Concidit exanimis, palmamque extendit utramque
Detrectans pugnam jam letho proximus heros.
Tu nihil indignum victor fortissime Pollux
Contra ausus: spectans ille autem ad cærula ponti,
Neptunumque vocans patrem, juravit, ab illo
Hospitibus numquam fore sese tempore durum.
Hæ sat Polluci laudes: te nunc ego dicam,
Castor equum domitor, thorace insignis, & hasta.
Tyndaridæ fratres binas abducere raptas
Leucippi instabant gnatas: Aphareo patre nati

Hos propere gemini fratres, queis utraque pacta,
Pone sequebantur, Lynceus, & maximus Idas.
Ut vero sublime Apharei tetigere sepulcrum,
Desiliere ad pugnam altis e curribus omnes
Armati jaculis, protecti & corpora scutis.
Tum subito galea Lynceus exclamat ab alta:
Quis furor armorum? quæ mens tam dira puellas
Non vestras propter sævire, & stringere ferrum,
O miseri? nobis longe ante prioribus istas
Pollicitus pater est; nobis connubia pacta
Firmavit magna testatus numina voce.
Vos aliena tori nunc fœde in jura ruentes,
Raptantesque unde unde boves armentaque equorum
Divitiasque alias animum pervertere nostis
Leucippi, & nostros donis furari hymenæos.
Certe ego sum, quamvis haud suetus plurima fari,
Hæc eadem vobis ambobus sæpe loquutus:
Indignum est tantos heroes ducere, amici,
Uxores, pacto jam sunt queis fœdere sponsi.
Est ingens & Sparta, ingens atque Elis equestris,
Arcadia est ovibus fœcunda, & Achaïca tellus,
Messeneque, Argosque, atque omnis Sisyphis acta,
Innumeræ patriis innuptæ in sedibus illic
Nec forma indecores florent nec mente puellæ.
Ex illis virgo vobis quæcumque petatur
Cedet digna: bonis quis enim socer esse recuset?
Heroes vos autem omnes excellitis inter,
Et vestri patres, patriusque ab origine sanguis.
Quare agite, ac lætum sinite hoc procedere nobis
Conjugium: vobis aliud curabimus una.
Hæc ego dicebam. rapidi sed dicta per undas
Diripuere noti, nec gratia verba sequuta est;

Namque estis duri atque immites, nunc quoque tandem
Parete o moniti; noster patruelis uterque es.
Quod si animus gliscit pugnare, & sanguine oportet,
Consertaque odium ancipiti decernere pugna,
Idas, & consanguineus, vis martia, Pollux
Spectantes cessent; soli pugnabimus armis
Castor egoque una, florenti ætate minores.
Sic nostris & luctus erit genitoribus asper
Iste minus, tristique unum sat funus in una
Triste domo: sociis reliqui solatia vivant,
Exstinctûmque loco potiantur sponsi hymenæis.
Præstat clade levi magnam componere litem.
  Dixit; nec facturus erat deus irrita verba.
Nam qui præstabant annis, e fortibus arma
Deponunt humeris, terraque infixa reclinant;
At clypei summo Lynceus hastile sub orbe
Fulmineum quassat, paribusque it Castor in armis
In medium: nutant utrique in vertice cristæ,
Ac primum congressi infestas eminus hastas
Direxere, alter nudatam sicubi partem
Corpore in alterius videat. sine vulnere cuspis
Utraque dissiluit, clypeoque infracta repulsa est.
Illi autem propius strictis mucronibus instant,
In cædemque ruunt: requies fit nulla pericli.
Multa super clypeum Castor galeamque comantem
Vulnera dat; multa & Lynceus non segnis ad ictus,
Atque acies ferri cristas micat intet ahena.
Illius & sævo subeuntis poplite Castor
Ense metit dextram, cedens pede: saucius ipse
Abjicit extemplo ferrum, cursuque citato
Ad tumulum præceps fertur genitoris, ubi Idas
Cognatæ adclinis spectabat prælia pugnæ.

Sed melior curſu per & ilia trajicit enſem
Perque uterum Caſtor, diſſectaque viſcera ferro
Intus agens ſpargit. ſubito cadit ille volutus
Ad terram, duruſque oculos ſopor urget inertes.
Nec tamen e gnatis miſeranda in ſede paterna
Laocooſſa alium reducem ad connubia vidit. (bat,
Namque columnam, ingens Apharei quæ membra tege-
Avulſam e tumulo dum vult Meſſenius Idas
Cædis in auctorem fraternæ emittere, portans
Juppiter auxilium manibuſque e marmore molem
Excutit, atque ipſum flammato fulmine ſternit.
Uſque adeo cum Tyndaridis contendere durum;
Sunt ipſi fortes. forti & genitore creati.

Salvete o Ledæ gnati; decus addite noſtris
Æternamque hymnis famam. cari uſque poetæ
Tyndaridis, Helenæque, aliiſque heroïbus, alta
Pergama qui exſciderunt, flavo ſocia arma ferentes
Atridæ. vobis, o reges, Chius honorem
Jam peperit magnum vates, Priameïa dulci
Mœnia concelebrans cantu, naveſque Pelaſgas,
Iliacaſque acies, pugnantum & Achillea turrim.
Vobis ipſe etiam muſarum hæc ſuave canentum,
Qualia dant divæ, quorum & mihi copia parta,
Dona fero: melius nullum diis carmine donum eſt.

IDYLLIUM XXIII.

AMATOR INFELIX.

Tragicus omnino hujusce miserandi hominis est exitus, qui quum se contemni crederet, laqueo mortem quaesivit. Nec minus tragice ab Amore animadversum in eum est, a quo se ille contemptum putabat.

Perditus ingratum vir quidam ardebat ephebum
Formosum vultu, sed formæ haud moribus æquis.
Nulla inerat pietas animo, verum asper amantem
Oderat heu miserum; nec, quis foret ipse Cupido,
Scibat adhuc, quantusque deus, nec fortibus arcum
In manibus qualem teneat, quam spicula dira
Torqueat in pueros? non mitia verba, nec ulla
Gaudia in affatu molli: sæva omnia ubique.
Nulla aderant flammæ solatia; non jocus oris,
Non oculorum ardens jubar almum, non roseus flos
Suave genis ridens, non illita nectare lingua,
Non & suaviolum magni lenimen amoris.
At fera sylvestri ceu trux observat ab antro
Venantes, sic ille hominem servabat: in ipsis
Sævities labris horrebat; lumina torvo
Obtutu, semperque malum minitantia stabant;
Tum facies atræ maculis circum obsita bilis,
Discolor & fastu pariter squallebat & ira.
Sic tamen & formosus erat: quare acrius ipsum
Infelix ardebat amans, nec pectore in imo
Jam tenuit veneris curas, ast actus amore

Proceſſit, ſubienſque inviſa ad limina flevit,
Oſculaque infigens hac voce ſilentia rupit.
Sæve puer, diro nutrite o lacte leænæ,
Saxee, deliciis indigne & Cypridis igne,
Ultima dona ferens veni tibi ſcilicet, ipſum
Hunc laqueum: neque enim fruſtra tete amplius ullis
Sollicitem precibus, pugnantem aut vincere ſperem.
Ecce abeo, quo me iampridem abſcedere cogis
Damnatum: ſequar illud iter, commune levamen
Heu miſeris lethæa ubi fertur amantibus unda.
Sed licet & mergam ſtagnanti in gurgite labra,
Hauriam & humorem totum, reſtinguere mentis
Vim cupidæ haud poſſim. jam jam vale dicere longum
Veſtibulo foribuſque tuis, ſine; quæque futuri
Præſcius effabor, tu ne, puer improbe, ſpernas.
Pulcra roſa eſt, parvo ſed tempore tabida languet,
Et violæ ſunt pulcræ in vere, ſtatimque ſeneſcunt
Deciduæ; niveo fulgent & lilia vultu,
Marcidaque ad terram laſſa cervice feruntur;
Candida nix etiam eſt, vitreus ſed liquitur humor,
Crevit ubi in glaciem: ſic & puerilibus annis
Pulcra quidem forma eſt, at parvo tempore durat.
Adveniat tempus, quum tu quoque mœſtus amabis,
Torridus & ſparges nequidquam fletibus ora.
Quin age et extremum morituro hoc munus amanti
Redde, puer: quando linquens tua limina meme
Videris in foribus ſuſpenſum, haud præpete ſaltu
Prætereas oro miſerum; paullisper at atro
Turbatus viſu conſiſte, & mollibus imbrem
Ex oculis vel parvum effunde. hinc vincula ſolve
Lacrymulas libans collo ſuper, & mea membra
Veſte tuo rapta de corpore contege, & ori

Os jungens ſuprema labris precor oscula fige.
Saltem etiam exſtincto tribuas hæc dona, nec ullus
Sit timor, his valeam ne rurſum adquirere vitam;
Non, si mutatus repetita per oscula clames.
Tum facito tumulum, noſtrum qui condat amorem,
Quumque abiens cedes, ter triſti voce ſupremum
Dic, o amice jaces; & ni piget, adde; ſodalis
Mi bonus heu periit! carmenque hoc marmore ſculpe,
Lineolis diſtinctum his rite quod ipſe notavi.
Hunc amor occidit: propius conſiſte, viator
Præteriens; & dic: crudelem eſt nactus amicum.
Sic fatus lapidem ingentem, qui forte jacebat
Proximus, admovit foribus: quo nixus ab alto
Limine ſuſpendit reſtem, collumque voluto
Injiciens laqueo ſubſtantia fulcra removit
Calcibus, & fracta moriens cervice pependit.
At puer egrediens tectis exſangue cadaver
Veſtibulo vidit pendens, nec motus acerba
Sorte, nec interitum miſeranda cæde recentem
Flevit; at exſtincti contactu polluit omnes
Funereo veſtes, petiitque adſueta palæſtræ
Munera. quin etiam caro ſe in fonte lavare
Dum cupit, iratum venit, quem læſerat ultro,
Ante deum; nam forte baſi ſuper arduus alta
Stabat Amor cernens ſubjectas aliger undas.
Exiliit ſubito ſimulacrum, atque impete magno
Perculit infandum juvenem. de vulnere ſanguis
Purpureus fluxit, nigroque innare lavacro
Ultima vox audita, ita cæco murmure dicens:
Vos, quos torret amor, felices vivite, voſque
Diligite o dilecti; en qui malus oderat, æquo
Jam periit letho: ſcit juſta rependere numen.

IDYLLIUM XXIV.

HERCULISCUS *sive* HERCULES ADHUC PUER.

Describitur Herculis, quum adhuc puerulus esset, immensa vis, qua duos immanissimos dracones mortem sibi inferre parantes in cunis noctu interfecit. Subjicitur & Tiresiæ de eodem vaticinium. Aliquid in fine Idyllii desideratur.

Alcmena Mideatis ut ævi mense vigentem
In decimo Alciden, atque una nocte minorem
Iphiclum lavit; saturatos nectare lactis
Imposuit scuto, quod quondam insigne superbum
Amphitryo retulit Pterela in certamine cæso,
Hinc eadem mulcens puerorum colla superne,
O nati dormite, inquit; sopor almus utrumque
Excipiat. vos o gemini, fortissima fratres
Germina, felices mea vita o carpite somnum,
Carpite, & auroram felices visite rursum.
Sic effata ingens scutum concussit: at illos
Texit blanda quies, mox vero ut Oriona juxta
Tendentem latos humeros se Parrhasis ursa
Vertit ad occasum media jam nocte, dracones
Cæruleis geminos horrentes corpora squamis,
Monstra infanda, malum Juno meditata sub ipsa
Limina tectorum, surgunt ubi cardine postes,
Immisit, jussitque minans discerpere parvum
Alciden. illi sinuantes cærula in orbem
Terga solo, cupidos expleri sanguine ventres

Volvebant ambo: dirus micat ignis euntum
Ex oculis, atque ora vomunt lethale venenum.
Jamque ubi lambentes linguis vibrantibus ora
Adstiterunt pueros juxta, sopor ilicet ambos
Liquit, & ingenti (Jove cuncta vidente) refulsit
Luce domus, tollit clamorem Iphiclus, ut atra
Monstra super scutum vidit, dentesque minantum
Horrificos, ardensque fugæ mollissima calce
Tegmina disjecit. contra autem adversus utrumque
Corripuit manibus, nodoque innexuit arcto
Alcides fera colla premens, ubi clausa venena
Noxia stant colubris, quæ divi odere vel ipsi.
Illi autem magnis torquentes corpora spinis
Circumdant puerum crescentem tempore tardo,
Lactantemque, suæ nec suetum spargere fletus
In gremio nutricis. ut autem fessa labore
Terga gravi frustra sensere, ingentia rursus
Vincula solverunt, laxis e corpore spiris,
Nequidquem validos conati evadere nexus,
Audiit Alcmene clamorem, atque excita prima,
Surge, ait, Amphitryo, trepidam metus occupat ingens:
Surge age, nec soleas pedibus supponere cures,
Clamantemne audis natorum ætate minorem.
Atque intempesta nonne omnia nocte per ædes
Collucere vides, quin aurea fulgeat Eos?
Certe aliquid, vir care, domi hæc portenta minantur,
Dixerat. ille toro surgit, dictoque monentis
Paret, & ardentem sese convertit ad ensem,
Olli qui thalamo fixus pendebat ad ipsum
Usque caput: læva capit apto cingula loro,
Ac dextra tollit vaginam e loto opus ingens.
Interea rursum caligine inhorruit atra

Parietibus latis thalamus, famulosque vocavit
Amphitryo jucundum efflantes ore soporem.
Ferte focis ignem, famulantum o fida meorum
Pectora, ferte cito correptum, & pandite firma
Limina: surge operum patiens captiva juventus.
Hæc ille; & famuli lychnis ardentibus adsunt,
Continuoque impleta domus properantibus omnis;
Atque iidem, Alciden videre ut colla draconum
Augentem teneris manibus nodoque tenaci
Stringentem, trepidi clamarunt. ille prehensos
Ostentat colubros genitori, atque exilit ardens
Lætitia puerili, exstinctaque monstra retorquens
Ipsius ante pedes jecit genitoris amati.
Læta metu exanimum gremio complexa recepit
Alcmena Iphiclum: villoso in tegmine contra
Amphitryo Alciden posuit, thalamumque petivit
Dulcia jucundi capturus munera somni.
Jam volucrum cantu pars ultima noctis abibat
Pulsa procul veniente die, quum sedula vatem
Tiresian semper vera omnia voce profantem
Exciit Alcmene, natique recentia facta
Expediit, jussitque ferant quid talia monstra
Dicere. nec divum si quid mens læva minatur,
Me veritus celes, neque enim mortalia corda,
Quod miseris nerunt parcarum stamina, possunt
Effugere, Everida, inquit: tibi maxime vatum
Haud ignota loquor. sic fata ubi regia conjux,
Ille refert: fide, o mulier clarissima prole
Magnanimi sanguis Persei. per lumen ademptum
Hoc ego dulce meum juro tibi, Achæides olim
Ad genua agglomerent manibus dum mollia fila,
Te passim sero celebrabunt vespere, teque

Nomine clamabunt; ibit tua fama per Argos.
Hic vir hic astriferum quondam ascensurus olympum,
Progenies tua certa, heros fortissimus omnes
Ipse feras hominesque invicto robore vincet.
Ac postquam duro peraget bissena labore
Prælia, fatale est Jovis olli in sede manere,
Quodque habuit mortale, pyra id Trachinia tollet.
Quin etiam divum gener ipse vocabitur, illum
Qui contra tenerum monstra excidere nefandis
E latebris, venientque dies, quum lædere parcet
Hinnuleum cernens lupus asper rupis in antro.
Verum age jam regina, adsit vis ignea præsto
Sub cinere, aspalathique jube super arida ligna,
Et paliuri, & sævo agitati flamine acherdi,
Atque rubi conferre: hoc secto in robore agresti,
Quum puerum voluere tuum male perdere, nocte
In media colubros incende. hinc mane coorto
Una ex ancillis cineres deportet ad amnem
Collectos, spargatque procul rapientibus auris
Per cautes subter præruptas, tectaque visat
Haud usquam conversa retro. tum sulfure puro
Cura domum primum suffire, ac spargere deinde
Fontis aqua niveo sale mixta & fronde virenti.
Rite coronata, ceu mos lustrare penates;
Cælicolumque marem regi mactare memento
Sponte suem, semper vobis vincantur ut hostes.
Dixit, & abscedens currum conscendit eburnum
Tiresias longo frustra tardatus ab ævo.
At dulci sub matre, virens velut arbor in horto,
Alcides crescebat, ab omnibus Amphitryonis
Creditus argivi verum genus. inclyta Phoebi
Progenies senior Linus illum nosse docebat.

Litterulas, gnavus comes usque ac pervigil heros:
Arcum autem torquere ac certam aptare sagittam
Eurytus, a proavis longe ditissimus agri.
Mox etiam cantare, manuque impellere utraque
Texta Philammonides docuit testudinis aureæ
Eumolpus. quotquot vero generosa per Argos
Invenit pubes genuum curvamina, & astus,
Calce premens valeat quibus hostem vincere; quotquot
Et pugiles sævis armati cæstibus artes
Exercent stantes, ad terram aut pondere proni,
Omnia ab Harpalyco duræ hæc inventa palæstræ
Edidicit Phanopeo, cujus nec cernere vultum
Sustineat quisquam media pugnantis arena:
Tale supercilium metuendo horrebat in ore.
Jungere sed curru bijugos, & flectere junctos
Alipedes metam circum, ne fervidus axis
Impete frangatur, radiosque in pulvere spargat,
Ipse suum docuit natum pater, auctus in Argo
Muneribus quondam largis; certamine equestri
Quippe leves currus agitavit sæpe, nec umquam
Indoluit fractas, quas olim victor agebat,
Ille rotas, longo laxis jam tempore vinclis.
Ut vero jaculum vibrare, ac terga corusci
Protegere objectu clypei ferrique minacem
Evitare aciem, bellantumque agmina campis
Instruere, ac cæcos obsidere milite saltus
Conveniat, turmasque hortari, & currere in hostem,
Castor eques docuit, profugus quum venit ab Argis,
Tempore quo regnum late ditione solumque
Vitiferum Tydeus a magno accepit Adrasto;
Ledæus Castor, quo non præstantior heros
Ante fuit, vires quam fregerit ægra senectus.

Sic puerum inſtituens Alciden candida in omni
Arte parens formabat; & illi mollia nocte
Exuviæ cæſi præbebant ſtrata leonis
Magnanimum juxta patrem. toſti ignibus armi
Prandia erant, Dorumque in morem educta caniſtris
Craſſa Ceres, qua foſſor & ipſe expletus abiret:
Poſt tenuis rurſum finita luce ſine igni
Cæna aderat; mediaſque ſuper fluitantia ſuras
Tegmina pendebant facili contexta minerva.

IDYLLIUM XXV.

AUGIÆ OPULENTIA, *vel* HERCULES LEONIS INTERFECTOR.

Ad Augiam Hercules profectus primum audit a quodam paſtore, deinde præſens ejus immenſas admiratur opes. Phineo tandem, quo cum in urbem proceſſit, cædem leonis a ſe victi narrat. In Idyllii initio pauci, qui deſunt, verſiculi adjuncti ſunt, ut ſententia conſtaret.

Amphitryoniades ingreſſus in Elidos oras
Ibat, & ingentes pecudum miratus in agris
Paſſim errare greges armentaque pinguia greſſum
Suſtinuit, ſubitoque ſenem, quem forte laborem
Juxta exercentem vidit, ſic primus amicis
Affatus verbis: dic o mihi protinus, inquit,
Quiſquis es, o paſtor, cui regi maxima parent
Hæc armenta boum, quove hæc via ducit? an alta
Ad ſtabula Augiæ, quem ſol pater aſpicit æquus

Ante alios opibus cumulans ingentibus auctum?
At senior, cura quod tum tractabat agresti,
Intermisit opus, placidoque ita reddidit ore.
Ultro, hospes, tibi fabor ego, quæcumque requiris,
Mercurii veritus grave numen, sævior omnes
Cælicolas inter qui surgere fertur in iras,
Ferre viatori quisquam male durus egenti
Si neget auxilium. non isdem in saltubus herbas
Attondent omnes, nec in una sede morantur
Lanigeræ pecudes Augiæ regis: at illæ
Irriguas propter ripas Elisuntis aberrant,
Illæ autem Alphæi sacrata ad flumina ludunt,
Buprasiique aliæ prope consita vitibus arva,
Heic quoque sunt aliæ: cunctis sua ovilia surgunt.
At vero quamvis latos effusa per agros
Exsuperent armenta modum, tamen omnibus una
Hæc loca dant eadem viridantia pascua semper
Menii apud stagnantis aquas. nam roscida dulces
Prata ferunt herbas & læta uligine circum
Pabula, cornigeris augent quæ robora bobus.
Ad dextram tollunt sese stabula ardua: tota
Ecce tibi apparent placidi trans fluminis undas;
Qua platani densæ viridisque oleaster inumbrant
Sponte solum, ramisque tegunt frondentibus, hospes,
Marmoreum Nomio, quo non præsentior alter
Divus adest, Phœbo positum de more sacellum.
Nec non & recto surgentia tramite cernis
Agricolis sua tecta, duci custodia fida
Immensas quæ curat opes, & semina mandat
Terque quaterque unus proscissis vomere glebis.
Circum autem plantasque serunt, & bacchica dona
Fossores ad præla ferunt, quum præterit æstas

Fervida, & expreſſo ſpumat vindemia muſto.
Sunt etenim, quæcumque vides, hæc divitis arva
Augiæ, ſegetique bona arboribuſque ferendis
Omnigenis tellus longe porrecta ſub ipſos
Irriguos ſcatebris, extrema cacumina, montes;
Quæ loca nos ſemper luſtramus, ut exigit uſus,
Aſſidua vernas qui cura exercet agreſtes.
Sed mihi tu contra (quod & ipſi profore credo
Jam tibi) dic referens, quænam huc te cauſſa venire
Impulit? Augias, famulantum an quæritur ullus
Illius ad nutum qui ſtant? ego dicere gnarus
Nam poſſum tibi cuncta. mala es de gente nec ortus,
Nec ſimilis tute ipſe malis, velut iſta decoris
Signa docent manifeſta tui: immortalia præſtant
Germina mortales inter tanto oris honore.

Huic autem Alcides proles Jovis inclyta reddit:
Ipſum equidem Augian regem, ceu reris, Epeum
Viſere nunc, ſenior, cupio; veni illius ergo.
Qui ſi inter cives patria forte urbe moratur
Proſpiciens plebi rectique atque arbiter æqui;
Dic aliquis famulantum hinc me deducat in urbem
Hoc animis alios inter qui præſtat in agro,
Quique meas voces audire, & reddere contra
Multa queat: dii nos voluere, opis indigus alter
Vivat ut alterius. ſic ille, ac talia dius
Ore refert ſenior: non lævo huc numine divum,
Credo equidem, veniſti hoſpes; perfecta videbis
Actutum, quæcumque foves ſub pectore vota.
Huc etenim Augias ſolis clariſſima proles
Magnanimo Phyleo cum nato venit ab urbe
Heſterna ſub luce, ſuas hèic providus ipſe
Inſpecturus opes, quarum illi eſt maxima ruri

Copia. sic placitum quondam est & regibus ipsis
Res ultro curare suas, meliusque putare,
Si videant, salvas. sed jam celeremus ad illum:
Monstrabo dux ipse viam, quæ ducit in altum
Hinc stabulum, farique tibi cum rege licebit.

Sic dicens præit ipse, & multa in corde volutat
Exuviumque feræ aspiciens, nodosaque clavæ
Robora quæ dextram implebant; unde hospes hic esset,
Quisve genus? jam jam gradientem & poscere avebat,
Sed tenuit sese, vocemque in gutture pressit
Effugere instantem, metuens ne incautius ore
Excideret dictum properanti: haud noscere pronum
Quippe homini alterius mentem sensusque repostos.
At vis fida canum, stabulo propiora tenebant
Quum loca, continuo venientem sensit utrumque
Atque pedum a strepitu atque emisso e corpore odore:
Incendunt rabidis latratibus aëra, & acres
Alciden contra diversa e parte feruntur
Diversi; contraque seni gannitibus instant
Undique adulantes, quos saxis protinus ille
Terruit e campo raptis, ac vertere fecit
Terga fugæ, increpuitque minans, nec non tamen intus
Gaudebat, fidens animi, custodibus illis
Omnia tuta domi se absente, ac talibus infit:
Quale animal superi faciles, quam pectore fido
Hoc dederunt socium mortalibus! o modo & ipsa
Mens foret, ut nosset, cui irasci debeat, & cui
Parcere, non illi quodquam contendat honore:
Nunc temere nimium furiis ardescit & ira.

Dixerat; atque ambo gressus in septa tulere.
Interea sol vertit equos devexus ad oras
Hesperias, seraque domum jam luce redibat

Pingue pecus linquens florentia gramina, & una
Post alias aliæ veniebant agmine vaccæ
Innumero. nubes ut aquosæ sæpe feruntur
Threïcii boreæ vi pulsæ, aut flatibus euri;
Non numerum quisquam cæli per inania certum
Nosse modumque valet; quot namque prioribus usque
Agglomerant rapidi violento flamine venti,
Imponuntque alias aliis: tam multa redibant
Usque armenta boum latis cedentia campis.
Implentur turba venientum atque omnia prata
Atque viæ, collesque sonant mugitibus icti
Undique: stramineis niveæ præsepibus agnæ,
Flexipedesque boves sua sese in septa receptant,
Heic immensa licet diversa ad munera staret
Turba virum; non ullus erat, quem lenta tenerent
Otia cessantem. bene secto hic tergore loris
Aptat vincla pedum vaccis, atque ubera mulget
Plena manu; hic fœtus submittere matribus instat,
Ut dulci de lacte bibant, quo turgida pastæ
Ubera distendunt: alter mulctralia gestat,
Lac niveum premit alter, & alba coagula densat,
Aut intus tauros matrum e congressibus arcet.
Augias circum gradiens obit omnia, & acri
Invigilat cura lustrans, quas quisque parasset
Pastor opes: gaudens comes olli it filius una,
Herculis & virtus sapiens; junctique sequuntur
Visentem sua regna opera inter agrestia regem.
At licet indomitam vim firmo in corde foveret
Amphitryoniades, & eodem robore semper
Septum animum; tamen ille videns tot millia circum
Multa boum, numero tanto turbatus, & hæsit,
Et stupuit, neque enim sibi quisquam inducere possit

In mentem domino pingues errare tot uni
Læta per arva greges; denis quia diceret illos
Regibus esse æquo plures, quos noverit ullus
Ante alios pecorum fama viguisse per oras.
Hoc genitor nato munus concessit habendum
Eximium sol ipse, ut agresti vinceret omnes,
Quot fuerunt, pecudum gaza; semperque novata
Ipse armenta olli præsens augebat, & atram
Morborumque luem, sæva & contagia longe
Arcebat duro pastorum inimica labori.
Ergo plura boum semper melioraque in annos
Agmine crescebant omnes, fœcundaque matrum
Ibat agris soboles vitulæ fortesque juvenci.
Stabant tercentum lunatis cornibus una
Matribus admixti candentes pinguia crura,
Biscentumque alii rufi, delecta juventus
Ad venerem. quos inter erant capita alta ferentes
Bisseni niveo præstantes corpore cycnis;
Phœbo qui sacri lectique ex agmine toto
Pabula tondebant soli viridantia, & inter
Sese exsultantes mugitibus arva replebant;
Quumque feræ e densis armenta agrestia contra
Prodibant sylvis in campos, agmine facto
Primi illi cursu furibundo in sæva ruebant
Prælia terribili fremituque, ipsoque minantes
Aspectu cædem. Phaëton hos maximus inter
Robore præstabat membrorum ac fortibus armis
Atque animo: quem pastores, quod clarior omnes
Ante alios gradiens campis splendesceret, astro
Assimilem dixere. ille ergo ut fulva leonis
Tegmina conspexit, magno irruit impete contra
Impavidum Alciden, laterique inpingere frontem

Lunatumque caput voluit conatus. at heros
Illius instantis lævum cornu ilicet acri
Corripuit læva, robustaque colla retorsit
Inflexa cervice solo, retroque repulsi
Terga gravis pressit: nequidquam ille arduus armos
Erigit intendens, pedibusque assurgit in auras.
Miratus vires rex ipse, & martia regis
Progenies Phyleus, circum mirantur & omnes
Pastores, tanto coram certamine viso.

Sed jam acer Phyleus & virtus Herculis una
Rura relinquentes tendunt vestigia ad urbis
Mœnia. ubi primum, confecto tramite, parvus
Tenditur a stabulo qui vites inter, & atro
In nemore obscurus serpit per opaca locorum;
Sunt iter ingressi latum, tunc pone sequentem
Augides dictis Jove natum affatur amicis,
In dextrum inclinans humerum caput. ipse ego de te,
Nunc animo ut repeto, jampridem audisse recordor
Quædam, hospes, narrata: olim nam venit ab Argis
Æquoream linquens Helicen vir achivus, ut ore
Monstrabat, viridi florens ætatis in ævo;
Atque hic tunc multos inter narrabat Epæos,
Ut quidam argivûm sese præsente necasset,
Attonitis monstrum agricolis immane leonem
Horrendumque ferumque, cavo qui insederat antro
Sacra in valle Jovis Nemeæi. nec tamen ipse
Scibat, an egregius foret heros natus in Argo,
An potius clara in Tiryntho, aut urbe Mycene.
Sic ille, atque ipsum Persei genus esse ferebat,
Si recte memini. nunc vero haud credere possim
Ægialo e magna quemquam te præter id ausum,
Namque & pellis obit, quæ te latera ardua circum,

Indicium eximiæ manifestum est laudis. at ipse
Dic age nunc referens tu primum, an fallor, an ille
Tute heros, quem jam multis præsentibus olim
Ex Helice veniens nobis narrabat Achivus,
Auguror ut reputans? dic & quibus artibus usus
Exitiale malum stravisti; unde excita pestis
Irrigua in Nemea sedit? nusquam Apidos ora
Tales alma feras, cupidus licet avia lustres,
Progenerat; sed enim tantum genus acre luporum
Fert eadem pinguesque apros ursosque feroces.
Quare etiam res visa magis miranda; nec omnes
Credere dicebant dignum, quod forte viator
Narrabat; vanumque etiam sub corde putabant,
Dulcibus & captos quærentem fallere dictis.
Sic ait, ac medio deflexit tramite Phyleus,
Exciperet pariter gradientes semita ut ambos,
Et melius posset verba exaudire loquentis
Alcidæ, tali retulit qui voce sequutus.
Quod primum cupiens, Augia o nate, rogasti,
Tutemet expensum bene nosti: cetera dicam,
Quando poscis, ego. tantum nescire fatebor,
Millibus e multis quod certo nullus Achivum
Dixerit, unde furens tulerit sese horrida pestis.
Solum aliquem Divum vexare Phoronidos arva
Conjicimus monstro hoc voluisse, quod impia divos
Læsisset gens illa. etenim velut amnis inundans
Omnes Pisæos late vastabat, & acer
Ante alios passis infandum Bembiniæis
Terror erat, circum loca qui vicina tenebant.
Hoc me certamen primum tentare coëgit
Eurystheus, sævo cupiens me perdere letho.
Ergo manu flexumque arcum gravidamque sagittis

Accipiens pharetram pariter, clavamque rigentem
Cortice adhuc viridi, quam duro e stipite olivæ
Inventæ celsi sacrata Heliconis in umbra;
Evulsæque ab humo ipsis cum radicibus olim
Feci habilem, his contra processi interritus armis.
Sed loca ubi horribili tetigi propiora leoni,
Corripiens arcum, nervumque ad flexile cornu
Intendens, volucris ferrum lethale sagittæ
Applicui supra.. vigili tum lumine circum
Omnia collustrans speculabar, forte videre
Si possim prius ipse ferum, quam cernar ab illo.
Jam medio currum sol altus agebat olympo,
Illius & nulla vestigia parte notare,
Nec potui rugitum audire. haud ullus in agris
Pastor erat, durumve opus exercebat arator,
Poscere quem valeam: tutis incluserat omnes
Pallidus in stabulis captos formidine terror.
At non ipse prius pedibus frondosa quievi
Lustra sequi per montem, illum quam denique vidi,
Ac subito vires sum contra expertus. in antrum
Ille suum veniens sera jam luce redibat
Noctem ante umbriferam cæsorum sanguine pastus,
Tergoribusque boum. fœdaverat undique multa
Cæde jubas, rictumque informem, & squallida tabo
Pectora: tum longam exertans e gutture linguam
Mentum horrens lambebat. ego nemoralibus umbris
Abditus e specula venientem, donec adiret
Me propior, tacitus servabam, atque ocyus ile
Intorsi in lævum gradientis cominus arcu
E resono telum frustra, quod dura subire
Haud valuit sub membra, virenti & gramine retro
Concidit absiliens. ille autem exterritus ictu,

Protinus a terra fulvum caput extulit alte,
Et circumvolvens flammantia lumina paullum
Substitit, ostenditque in hianti gutture dentes.
Hinc etiam subito nervo stridente sagittam
Triste ferens, quod prima volasset vana per auras,
Emisi, ac medium direxi in pectus, ubi ipsa
Pulmonis sedes; sed nec tum pertulit ictum,
Irrita sed frustra cecidit lethalis arundo.
Jamque animo graviter commotus tela parabam
Tertia, quum torquens oculos me bellua contra
Aspera conspexit, longamque hirsuta revolvens
Ad genua immanis caudam se ad bella parabat.
Continuo rabie tumuere horrentia colla,
Arrectæque comæ fulva cervice stetere
Ira ardescenti; seseque inflexit in arcum
Attollens dorsi spinam, curvatus ab imo
Inguine per lumbos supra. ceu quando per artem
Multa faber gnarus caprifici fissile robur
Flectit, agitque domans prius igni, ut curribus aptet
Ille rotas teretem circum volventibus axem,
Sæpe manu robur durato cortice flexu
Effugit in medio, & toto procul impete fertur
Exiliens protensum: ita me contra incitus acri
Prosiliit ferus ore leo, discerpere membra
Discupiens correpta. ipse autem e corpore amictum
Opposui duplicem prætendens, telaque læva
Rapta manu, dextraque elatam ad tempora clavam
In caput impegi. violento protinus ictu
Dissiluit vis dura oleæ, geminasque pependit
In partes infracta horrendo in vertice. at ille
Concidit ex alto, prius ipsum desuper urgens (sit
Quam steterim, ad terram; pedibusque trementibus hæ-

Vertice nequidquam nutans: nox presserat ambos
Atra oculos, penitaque excussum in sede cerebrum.
Vulnere quo exanimem cernens victumque dolore,
Ante quidem in sese redeat quam vivus, & auras
Accipiat rursum, ferii restantia colli
Indomiti vincla ipsa, abjecto flexili & arcu,
Inflexa & pharetra in terram; dorsumque superne
Vi manuum valida pressi, ne versus acutis
Unguibus arreptos laniaret corporis artus.
Tum super assistens impressis calcibus arvo
Crura pedum postrema afflixi, & utrinque revinxi
Incumbens genibus latera ægra jacentis, ut armos
Solveret exanimis. non vis, non ullus in ore
Spiritus: extincti raptum in sublime levavi
Corpus ego, horrendamque animam niger abstulit orcus.
Atque heic hærebam dubius, queis artibus usus
Detraherem monstri fulvam de corpore pellem,
Durum opus expertus: neque enim vel cedere ferro,
Vel poterat saxo, vel acuti robore ligni.
Tunc aliquis divum credo fuit auctor, ut ipsis
Unguibus extincti longis, si vincere possim,
Tentarem. his facile detraxi aggressus, & altis
Exuvias humeris posui tutamen in armis.
  Hoc fuit, o Phyleu, Nemæi triste leonis
Excidium, multas qui clades intulit olim
Gentibus & pecori late bacchatus in agris.

IDYLLIUM XXVI.

LENÆ *seu* BACCHÆ.

Penthei ſupplicium hoc in carmine continetur, atque immanis illa Baccharum ſævities, qua furebant adverſus omnes, quos Deo Libero inviſos putabant.

Ino atque Autonöe cumque his ſoror addita Agave
Pomicolor, ternæ montes egere ſub altos
Tres thiaſos; quernaſque hirſuta ex arbore frondes
Carpentes, viridamque hederam, & naſcentia paſſim
Aſphodeli per humum folia atra in limite puro
Biſſenas ſtruxere aras de ceſpite molli
Tres Semelæ, Bacchoque novem. tum rite procatæ
E plena manibus ceperunt munera ciſta,
Libanteſque ſupra ſparſere altaria, Bacchus
Ceu docuit quondam, fierique ipſe auctor amabat.
Aërio celſæ rupis de vertice Pentheus
Omnia ſpectabat, lentiſco ut forte latebat
Abditus in veteri, qui circum plurimus exit.
Prima autem Autonöe luſtrantem ut vidit, ad auras
Extulit horrendum clamorem, ac cœpta furentis
Turbavit pedibus procurrens orgia Bacchi,
Orgia, quæ licitum nulli vidiſſe profano.
Ipſa ruit furibunda, ruit ſimul excita raptim
Turba furens comitum. trepidans fugit ocyus altos
Per ſcopulos Pentheus; illæ ſed voce ſequutæ
Horrifica ſuras cingebant tegmina ſupra,
Tollebantque ſinus alte. quid denique, matres,

Vultis, ait Pentheus? jam jam experiere, reponit
Autonöe, prius ipse queas quam discere verbis.
Interea nati capite e cervice revulso
Talem mugitum mater dedit effera, qualem
Fœta lea attollit quondam. super irruit Ino,
Cum scapulaque humerum vellit, ventremque superstans
Prosubigit pedibus. furor idem concitat ipsam
Autonöen; reliquæ discerpunt cetera matres,
Ac repetunt Thebas maculatæ sanguine, in urbem
Planctum infelicem non Penthea monte ferentes.

Non ego, non alius curet sentire furorem,
Numen & infensum Bacchi, graviora vel istis
Si quis erit passus, sit nonum ingressus in annum,
Aut decimum. pius ipse agitans sine crimine vitam
Usque piis placeam securum agitantibus ævum.
Jupiter augurium multo hoc dignatur honore,
Atque bonos bona certa sequuntur, & impia contra
Germina. nunc vero mihi gaudeat Ævius Evan,
Nimboso in Dracano quem quondam e matre solutum
In femur ipse suum Saturnius abdidit intro.
Gaudeat & Semele formosa, unaque sorores
Laudatæ a multis, Cadmi genus, heroinis,
Quæ furiis actæ Bacchi culpabile nulli
Hoc facinus fecere; quis arguat acta deorum?

IDYLLIUM XXVII.

DAPHNIS & PUELLA.

Colloquium hoc totum amatorium eſt, in quo inter Daphnidem paſtorem & puellam quamdam nuptiæ conciliantur. Carmen eſt quam ſuaviter, tam parum caſtigate ſcriptum.

D. Illam Helenen claram paſtor Paris abſtulit alter;
Clarior hæc Helene, quæ me ſinit oſcula ferre.
P. Oſcula vana, ferunt: ne tu, Satyriſce, ſuperbi.
D. Vana quidem, ſed vana placent tamen oſcula nobis.
P. Illa ego jamque ſpuam, deterſaque labra lavabo.
D. Sicne lavis tua labra? iterum ſine dulcia libem.
P. Ferto mage hæc vitulis, quam caſtæ virginis ori.
D. Ne tumeas: fugiet, ſopor ut, flos iſte juventæ.
P. Uva placet vel paſſa, arens roſa ſervat odorem.
D. Huc age jam ſuccede oleaſtro, unaque loquamur.
P. Haud veniam: ante etiam decepta audiſſe récordor.
D. Auditura meam ſyringa hac ſide ſub ulmo.
P. Iſta tibi placeat; non triſti carmine lætor.
D. Ah! taceas ah virgo, ac reſpice Cypridis iram.
P. Jam valeat Cypris, modo me Latonia ſervat.
D. Ne dicas, ne te feriat, neu retia tendat.
P. Ut libitum, feriat; Dictynna haud lenta juvabit.
Tolle manus; quod ni, diſcerpam protinus ora.
D. Haud fugies, virgo quem nulla effugit, amorem.
P. Effugiam per Pana: jugo tu preſſus acerbo es.
D. Deterior, metuo, ne te ſibi ducat habendam.

P. Multi me petiere; inflexit pectora nemo.
D. Unus ego e multis tua nunc connubia posco.
P. Quid faciam, dilecte? ferunt connubia curas.
D. Non curas, non damna, choros connubia ducunt.
P. Nonne suos perhibent nuptas trepidare maritos?
D. Illas imperium penes est: quem nympha tremiscat?
P. Cura premit partus; gravis est dolor Ilithyiæ.
D. Sed partus Dictynna levat, tua Diva, dolorem.
P. Gignere & horresco, pereat ne corpore forma.
D Si gnatos paries, gnatos nova lumina cernes.
P. Annuero si forte, dabis quæ munera digna?
D. Pascuaque hæc, omnemque gregem, nemora omnia habebis.
P. Jura ergo, invita quod nusquam infidus abibis.
D. Pana tibi adjuro, non, si vel pellere tentes.
P. Vin thalamos, vin septa mihi, vin condere sedes?
D. Stabunt jam thalami; pulcras tibi pascimus agnas.
P. Quanam grandævum patrem qua voce movebo?
D. Nomen ubi audierit, connubia pacta probabit.
P. Dic nomen: vis blanda ipso est in nomine sæpe.
D Daphnis ego, Lycidas pater est, materque Nomæa.
P. Clara es gente satus: nec gens mea cedit honore.
D. Haud nimium celebrata; pater tibi namque Menalcas.
P. Jamque ostende nemus, tua stant ubi condita septa.
D. Huc age: florentes viden' alta mole cupressus?
P Dum viso pastoris opes, vos pascite capræ.
D. Pascite vos tauri, dum nymphæ hæc pascua monstro.
P. Quid facis, o Satyrisce? manu quid tangere certas?
D. Hæc tua nunc primum noscam flaventia mala.
P. Obstupui per Pana: sinu citus extrahe palmam.
D. Quid tremis? ah nimium timida es: mea fide puella.
P. Me jacis in sordes, formosaque tegmina fœdas.
D. Vestibus ecce tuis substerno e vellere strata.

P. Heu! heu! & mitram removes. cur vincula solvis?
D. Hæc Paphiæ primum supplex do munera divæ.
P Expecta: venit ecce aliquis; sonus impulit aurem.
D. Garrula sylva tuos memorat cyparissina amores.
P. Jamque adeo sum nuda: scidisti heu sævus amictum.
D. Ipse dabo hoc alium meliorem munus amictum.
P Nunc spondes mihi cuncta; salem post forte negabis.
D Ipsam animam sic o! tibi nostram immittere possim.
P. Ne sævi, Dictynna: tua est infida sodalis.
D. Bos Veneri cadet ictus, Amori intacta juvenca.
P. Adveni huc virgo, modo nupta in tecta redibo.
D. Quin mater natorum altrix, non denique virgo.
Sic illi alternis inter se mollia dictis
Gaudia carpebant furtivo in cespite strati.
Nymphaque ubi exiliit, capras per gramina visit,
Sparsa pudore oculos, atque intus corde micanti;
Ille autem voti compos armenta petivit.

IDYLLIUM XXVIII.

COLUS.

Theocritus colum Syracusiam, quam proficiscens Miletum Theugenidi Niciæ amicissimi hominis uxori munus hospitale deferre statuit, ingeniose alloquens; ejusdem optimæ matrisfamilias probitatem & industriam, itemque Niciæ doctrinam & humanitatem collaudat.

PULCRA colus, lanæ cultrix, magnumque domorum
Auxilium; quam casta bonis, memorabile donum,

Matribus inventam fertur donasse Minerva;
En age Mileti mecum alta ad mœnia perge:
Cypris ubi in viridi canneto pulcra sacellum
Obtinet. huc facilem cursum det Juppiter, oro:
Nicia ut aspectu nostro lætetur, & æque
Læter ego, amplectarque virum, fudere venustæ
Quem Charites partu felici suaviloquentem.
Illic te nivei prognatam dente elephanti,
Hospitis uxori comitem, famulamque dicabo,
Ipse manu tradens: quicum tu multa virorum,
Multa puellarum facies velamina, vestem
Omnigenam, ventos contra munimen & imbres.
Pinguia nam late pascentes prata, quotannis
Bis teneræ agnorum tondentur vellera matres
Theugenidi pulcræ: tam parvo tempore ponit
Finem operi; partemque domus non negligit ullam,
Curans quod dignum cumque est sapiente bonaque,
Non ego te ignavas dominæ cessantis in ædes
Tradiderim, dulcis patriæ mihi fœdere junctam.
Namque tibi patria est, Siculis Ephyreïus heros
Quam posuit campis præstantem prole virorum.
At nunc tecta viri servans, cui Phœbus Apollo
Scire dedit morbos, morbisque inventa fugandis
Pharmaca, Mileto patriam mutabis opima,
Et Sicula antiquos versaberis inter Ionas;
Pulcra colo ut pulcra cunctis præstare feratur
Theugenis; utque animo numquam vetus excidat hospes,
Hospes cui Musæ, cui dulcia carmina cordi,
Quippe aliquis forsan te cernens: munere, dicet,
Gratia in exiguo non parva est; spernere nec fas,
Pendere nec parvi, quidquid donavit amicus.

IDYLLIUM XXIX.

AMORES *seu* LUSUS PUERILES.

Hoc Idyllium non ut cetera versibus exametris scriptum est, sed sapphicis pentametris, uti vocant, seu pentametris dactylicis: porro eadem versuum ratio ab interprete servata est. Quod attinet ad argumentum, in eo poeta conqueritur de cujusdam adolescentis inconstantia, amicitiaque dirempta.

VINUM fertur, amice puer, mera veritas,
Ac nos veridicos decet esse vel ebrios:
Effabor, penito latitant mihi quæ sinu.
Me non ex animo integro amas; equidem scio:
Nam vitæ hoc mihi dimidium, quod adhuc manet,
Tuo vivit ab ore; aliud periit male:
At si forte velis, similem superis agam
Vitam; si renuas, tenebris premar horridis.
Quonam hæc conveniunt modo, amans tibi tædio est?
Nunc si me audieris juvenis mage te senem,
Laudabis quoque me, utilius tibi consulens.
Fac unum stabilem unica in arbore nidulum,
Quo non improbulo subeat pede reptile:
Tu ramum hunc hodie insiliens, alium tenes
Cras, rursusque inhians alium ex alio petis.
Nam quisquam simul ac nitidum decus extulit
Tete conspiciens, magis ille, triennio
Quam qui carus erat, colitur: prior excidit
Amans, vixque loco numeratur in ultimo.

Non hic mos placeat malus; iſta ſuperbia eſt:
O vivas ita, ſemper ama ſimilem tui.
Id tu ſi efficies, bene ab omnibus audies,
Et lenem faculam experiere cupidinis,
Qui mentes hominum ſubigens facile domat,
Meque ex ferro adeo dedit eſſe tenerrimum,
Et mollem mage cera. utinam referam modo
Amplexusque tuos, tuaque additus oſcula!

IDYLLIUM XXX.

IN MORTUUM ADONIDEM.

Totum hoc carmen & metro & ipſo genere eſt Anacreonticum, in quo judicium Veneris de apro, qui Adonidem morſu occiderat, inſtituitur. Quampluſimi non eſſe Theocriti opinantur; ſed cujus poetæ ſit, nequit omnino ſtatui.

ADONIDEM Cythere
Ut vidit interemptum,
Et ſquallidos capillos,
Et pallidum os habentem,
Ad ſeſe agant ut aprum,
Juſſit citos Amores.
Illi ſtatim volantes
Late nemus per omne,
Videre turbulentum,
Viſumque colligarunt.

Unusque vincla nectens
Post se reum trahebat;
Pone insequens & alter
Suo incitabat arcu.
Ast ille tristis ibat
Sævam timens Dionem.
Cui sic Venus loquuta:
Nequissima o ferarum,
Tune hoc femur petisti,
Tu mi virum abstulisti?
Fera autem ei reponit:
Juro tibi, o Dione,
Per te, per & maritum,
Has compedes per ipsas,
Perque alites puellos,
Virum hunc tuum venustum
Non mens erat ferire;
At intuens nitentem,
Signum ut sacrum deorum,
Magnum ferens nec ignem,
Femur, quod albicabat,
Male institi osculari:
Id perdidit furentem.
Ergo hos cape, o Cythere,
Hos plecte tu secaque;
Nam quid feram ultra amoris
Dentes inauspicatos?
Hi ni satis, labra ipsa
Cum dentibus recide.
Dixit: miserta Cypris,
Amoribus, relaxent
Ut vincula, imperavit.

Ex hoc deam ſequutus
Haud in nemus redivit;
Atque ignibus miniſtros
Furoris uſtulavit.

THEOCRITI IDYLLIORUM
FINIS.

MOSCHI SYRACUSII

IDYLLIUM I.

AMOR FUGITIVUS.

Venus inducitur Amorem quærens per compita; a qua & præmia proponuntur iis, qui aut visum nuncient, aut captum reducant. Porro ut puer agnosci possit, ab eadem signa indicantur.

Inclamans gnatum quærebat Cypris Amorem.
Errantem in triviis si quis conspexit Amorem,
Ille erro meus est. index, tu munus habebis,
Munus suaviolum Veneris. si forte reduces,
Non modo suaviolum, sed majus munus habebis.
Plurima signa insunt puero: cognoveris ipsum
Bisdenos alios inter, non candidus albet
Corpore, at assimilis flammæ est: stant ignea semper
Lumina lustrantis; mens est mala, dulcia verba.
Namque puer non sentit idem, quod fatur: ab ore,
Ut mel, vox manat. sed quando irascitur, ardet.
Aspera mens, fraudem & mendacia fingere docta:
Vera odit vafer usque, joco & crudelis in ipso est.
Crispa coma est capitis, trux pulcro aspectus in ore,
Exiguæque manus, sed longe spicula jactat,
Usque acheronteas jactat sua spicula ad undas,
Umbrarumque ferit regem. stat corpore nudus,

At mentem tegit ipse; & avis velut, insilit alis
Nunc hos nunc illos supra, matrumque virumque
Visceribus penitis hærens gravis insidet hostis.
Flexilis in læva sonat arcus: parvus & arcus,
Et parvum est jaculum super arcu; at in æthera fertur.
Inque humeris pendet pharetra aurea; & intus acerbi
Sunt calami, queis sæpe etiam me sauciat ipsam.
Omnia, sæva quidem sunt omnia; sed mage multo
Sævior illa potens fax urere parvula Solem.
Duc age duc vinctum, si ceperis: haud miserere,
Seu videas olim flentem, cave fallat; eumdem
Seu videas ridentem, huc o! trahe. si oscula blanda
Ferre volet, fugesis: sunt ipsa & labra venenum.
Quod si etiam dicet; cape tela hæc, omnia dono;
Nil capias, fallax donum est: igne omnia tincta,
Ille gerit quæcumque puer secum improbus, arma.

IDYLLIUM II.

EUROPA.

Narrat in hoc Idyllio poëta, ut Juppiter in tauri formam mutatus Europam rapuerit, abduxeritque in Cretam.

SUAVE olim Europæ visum dea candida Cypri
Immisit, noctis quum pars extrema rubentem
Jam vocat auroram, jam nectare dulcior hyblæ
Affusus per membra sopor tegit almus ocellos,
Veraque noctivagis pascuntur somnia formis.
Nam thalamo recubat dum tecti parte sub alta
Filia

Filia Phœnicis, tum virgo, Europa videbat
Terrarum geminas pro se contendere partes,
Asidaque, oppositamque. os virginis utraque habebat;
Una peregrinæ similis tamen, altera formæ
Indigenæ, natamque suam sibi jure petebat
Hæc potiore; a se genitam memorabat, & annis
Nutritam a teneris. at fortior illa sequentem
Hinc validis atque hinc manibus complexa trahebat:
Scilicet Europen, fatorum lege suprema,
Ab Jove promissam dicens, sibi munus ut esset.
Nympha metu perculsa extemplo prosilit alto
E thalamo; veras ut res nam somnia vidit,
Tum trepidans, tum muta diu consedit: utramque
Effigiem vigilans præsenti in imagine cernit,
Ut vero attonitæ longo post tempore cessit
Ille stupor, virgo sic fata. quis o mihi divum
Obtulit hæc visa, aut quænam hæc me somnia terrent
Suaviter irriguo perfusam membra sopore?
Quæ fuit, in somnis quam vidi, illa hospita? quam cor
Perculit ejus amor; quanto suscepit & ipsa
Me studio! blandis ceu gnatam aspexit ocellis.
O mihi jam faciles bene vertant somnia divi.
Sic ait; & socias surgens compellat amatas,
Unanimes, ætate pares, & sanguine claras;
Cum quibus illa jocos semper miscebat, iniret
Seu choreas, puro ablueret seu corpus Anauro,
Candida odoratis legeret seu lilia campis.
Convenere citæ: stant florigeri calathisci
In manibus, celerique petunt pede roscida prata,
Prata mari vicina, simul quæ semper adibant
Et florum studio captæ & resonantibus undis.
In mediis calathum incedens Europa ferebat

Aureolum, visu mirum, Vulcani opus ingens;
Quem Lybiæ dederat, petiit quum nympha cubile
Neptuni; illa dedit formosæ Telephäessæ,
Sanguine quæ fuerat sibi juncta; hæc munus habendum
Præbuit Europæ genitrix gnatæ. inclyta in illo
Gesta faber varia cælarat Dædalus arte.
Auro namque inerat sibi nondum reddita, nondum
Corpore mutato, sed adhuc bos Inachis Io,
Percita adhuc œstro, tendens per cærula gressus
Assimilis nanti: liquidis color additus undis
Cæruleus. gemini juvenes stant desuper ora
Litoris in summa, vultuque immotus uterque
Miratur per salsa bovem maris æquora euntem.
Juppiter heic inerat mulcens humentia colla
Æquoreæ vitulæ; cui mox sua cornua demit
Propter aquam, propter septemplicis ostia Nili
Virgineam reddens converso corpore formam.
Concolor argento Nili color ibat; ahena
Bos erat, ex rutilo fulgebat Juppiter auro.
Circum autem, summa calathi sub parte rotundi,
Ipse videbatur Maja generatus, & illi
Proximus Argus erat centeno lumine clarus.
Cujus purpureo volucris de sanguine nata
Plaudebat pennarum hilari gavisa colore,
Expandensque decus caudæ, ceu carbasa picta,
Aureoli extremum calathi circumdabat orbem.
Tale opus, ac tali se munere læta gerebat.
At nymphæ postquam venere ad florea prata,
Captæ aliis aliæ gaudebant floribus: ungui
Narcissum hæc tenero mollem legit, illa hyacinthum,
Hæc violam, aut halans serpillum, lapsaque passim
Et folia & frondes verna tellure jacebant.

Nec minus errantes aliæ decerpere flavum
Instabant in serta crocum. media ipsa legebat
Puniceam regina rosam, formosior una
Tanto aliis, quanto Charisin Venus aurea præstat.
Sed neque erat florum studio, neque virginis illa
Nomine læta diu mansura. ut vidit ab axe
Namque deûm genitor nympham, penetrabile telum
Sensit Acidaliæ Veneris, quæ sola vel ipsum
Vincere sueta Jovem, magno succendit amore.
Ille quidem effugere & rabiem Junonis iniquæ,
Fallere & incautæ cupiens cor molle puellæ,
Occuluit numen, mutato & corpore sese
Induit in taurum: non ad præsepia qualis
Pascitur, aut curvo terram proscindit aratro;
Non qualis ludit pecora inter agrestia campo
Luxurians; nec qualis item, stridentia multo
Edomita cervice trahit qui pondere plaustra.
Numquam alius talis fuerat conspectus: ut auro,
Corpore flavebat toto; sed candidus alte
Fronte bovis media splendebat circulus. olli
Glauci oculi, & blando fulgebant igne corusci;
Tum paria hinc atque hinc surgebant cornua celso
E capite: haud aliter, quam quum nova Cynthia cælo
Invehitur, curvaque nitet nondum integra fronte.
Jamque aderat: veniens pavidas non ille puellas
Terruit aspectu; sed cunctæ accedere gaudent,
Sed placidum manibus taurum contingere, cujus
Dius odor prati vernum superabat odorem.
Europæ stetit ante pedes, collumque superne
Lambebat mulcens; pariter formosa puella
Contingitque ipsum, niveasque abstergit ab ore
Læta suis manibus spumas, atque oscula figit.

Mugiit hæc inter bos lene: audire putares,
Mygdonia argutam fundit quam tibia, vocem;
Molliaque inflexit crurum curvamina, & herba
Procidit in viridi, nympham cervice reflexa
Aspiciens præbensque adstanti grandia terga.
Tum virgo tali voce est affata sodales:
  Dilectæ o sociæ properate: insidere tauro
Jam placet. ille quidem dorsum substravit, & omnes
Ceu ratis excipiet. quam visu est lenis, & ore
Quam blando! haud aliis similis. mens insidet illi,
Mens hominum facilis, solius & indiga vocis.
  Dixerat; ac ridens tergo consedit in alto;
Dumque aliæ accingunt sese, jam virgine amata
Exsiluit rapta taurus, gressuque voluceri
Se freta proripuit citus ad Neptunia. at illa
Desertas mœsta conclamat voce sodales,
Brachiaque incassum tendit: non ulla sequendo
Cursum æquare valet. namque ocyor ille relinquens
Litora, ceu rapidus delphin, maria alta secabat.
  Grandibus at phocis invectæ gurgite ab imo
Nereïdes venere omnes, atque agmine pulcro
Implicuere choros. summas perlabitur undas
Neptunus pater ipse rotis, magnoque tridente
Sternit iter fratri. circum glomeratur in orbem
Humida gens ponti, Tritones; lætaque conchis
Carmina raucisonis, lætosque canunt hymenæos.
  Nympha Jovis magni taurino in corpore sidens
Hac tenet incurvum cornu bovis, aurea at illa
Dædaleæ collecta manu velamina vestis:
Ima tamen spumat canenti fimbria fluctu.
Ast humeros circum fluitantia lina tumebant,
Ceu navis quum vela tument, nymphamque levabant.

Quæ postquam patria longe a tellure recessit,
Nec jam usquam apparet litus, nec culmina celsa
Vertice frondifero; cœlum undique, & undique fluctus
Se circum ut vidit, tales dedit ore loquelas:
Quo divine vehis bos raptam? quisnam es? & o qua
Arte viam carpis, gravibusque insistere ponto
Haud horres pedibus? maris unda est pervia pandis
Navibus; horrescunt fortes vaga cærula tauri.
Heic tibi qui potus dulcis? quæ pabula in undis?
An deus es? divos at cur quod dedecet, ultro
Ipse facis? lucis nec delphin curvus in altis,
Sylvicolæ nec tauri errant in gurgite ponti:
Tu terraque ruis pelagoque; dat ungula remos,
Fors etiam volucri sublimis in aëra nisu
Effugies, summumque petes novus ales olympum,
Me miseram! longe patris quæ sede relicta
Haud ullas timui insidias, taurumque sequuta
Rapta per undisonos temere vagor avia tractus.
Tu facilis Neptune, maris cui tradita cura est,
Adsis o propiusque juves: da visere tandem
Te comitem cursusque ducem. sine numine divum
Non ego sic placidas ponti feror acta per undas.
Hæc illa; hæc taurus contra tum corniger infit;
Sume animos, virgo; pelagi nihil unda nocebit.
Namque ego sum, quamvis videar bos esse tuenti,
Juppiter: in quodcumque volo, me vertere possum,
Nunc adeo tuus altus amor pulcherrima tauro
Assimilem longum fecit metirier æquor.
Te Creta incolumem capiet, quæ me quoque parvum
Nutriit. ipsa illic mecum jungere hymenæo,
Magnanimosque dabis gnatos, qui ditia regna
Sceptriferi in cunctis magna ditione tenebunt.

Sic fatus, fecit rata dicta. apparuit undis
Creta; aliam in formam se Juppiter induit, & jam
Connubium celebrat, circum famulantibus Horis.
Illaque, virgo prius, magni tum sponsa Tonantis
Progeniem dedit, & gavisa est nomine matris.

IDYLLIUM III.

EPITAPHIUM BIONIS.

Deflet poëta mortem Bionis Smyrnæi vatis bucolici, qui veneno propinato haustoque supremum diem obierat.

Triste mihi saltus, triste ingeme Dorica ſympha,
Et fluvii optatum frustra lugete Bionem;
Nunc arbusta mihi vos flete & frondea lustra;
Aridulis flores nunc o spirate corymbis,
Nunc, rosa, triste rubeto, & triste rubeto, Anemone;
Nunc foliis signa illa tuis heu heu, Hyacinthe,
Ingemina: dulcem tulerunt fata aspera vatem.
  Rumpite Sicelides jam questus, rumpite musæ.
Dauliades nemorum ramosa in sede gementes
Ite agite, & siculis Arethusæ dicite lymphis:
Occidit ille Bion pastor bonus, occidit una
Jucundum & carmen, Pastorum & Dorica musa.
  Rumpite Sicelides jam questus, rumpite musæ.
Strymonii lugete ad tristia flumina cycni,
Et querulo mœstum nunc fundite carmen ah ore,
Quale Bion quondam resonabat gutture vestro.
Dicite & Oeagriis, & nymphis dicite late
Bistoniis: dulcis periit jam Doricus Orpheus.

Rumpite Sicelides jam questus, rumpite musæ,
Ille gregi carus non amplius inflat avenas;
Non recubans viridi cantat sub tegmine quercus;
Flumina sed queritur propter lethæa sub umbris.
Cuncta silent juga muta; vagæ per prata juvencæ
Cum tauris lugent, nec roscida gramina curant.
Rumpite Sicelides jam questus, rumpite musæ.
Ipse tuum funusque, Bion, deflevit Apollo,
Et Satyri flevere, & nigra in veste Priapi:
Cum gemitu Panes quærunt tua carmina, & altis
Najades in sylvis lacrymas pro flumine fundunt.
Flens Echo sub rupe dolet, quod muta silescit,
Nec simulat tua labra. tuo quin funere lapsa
Quæque sua passim jacuere sub arbore poma,
Et lassi flores putruere, oviumque reliquit
Ubera lac niveum, liquitque favos bene olens mel;
Tabidus in cera mellis liquor aruit. haud est
Alterius nunc mellis opus, te melle perempto.
Rumpite Sicelides jam questus, rumpite musæ,
Non tantum æquoreo delphin in litore flevit,
Nec gemuit tantum philomela in rupibus unquam,
Questa nec est tantum juga per sylvestria hirundo,
Nec tantum Halcyone mœrens Ceyca dolebat.
Rumpite Sicelides jam questus, rumpite musæ,
Nec tantum in glaucis ploravit Cerylus undis,
Vallibus eois nec tantum Memnonis ales
Circum busta volans flevit Titanide natum;
Quantum omnes raptum deploravere Bionem.
Rumpite Sicelides jam questus, rumpite musæ.
Illius & numeros miratæ, & mollia doctæ
Carmina, ramorum densis philomela sub umbris
Heic residens, illic contra soror altera Progne,

Alternæ ingemuere; cohors vaga responsabat:
Vos etiam Paphiæ vos o lugete columbæ.
  Rumpite Sicelides jam questus, rumpite musæ.
Ecquis erit, qui suave tua moduletur avena,
Admoveatque tuis audax qui labra cicutis?
Garrula adhuc spirat tua vox, atque halitus ille
Dulcis; adhuc intus cantum depascitur Echo.
Pan habeat, Pan ipse tuis adjungere labra
Fors renuet calamis, referat ne dona secunda.
  Rumpite Sicelides jam questus, rumpite musæ.
Flet cantus Galatea tuos, quam sæpe solebas
Te prope compositam mulcere in litoris ora.
Non tua vox Cyclopis erat: fugiebat ab illo,
E pelago te blanda tuens Galatea petebat.
Et mare nunc oblita in sola mœret arena,
Pascit & ipsa tuos per tristia prata juvencos.
  Rumpite Sicelides jam questus, rumpite musæ.
Omnia musarum tecum una munera rapta,
Rapta puellarum perierunt oscula, & ipsa
Labra etiam puerorum; & triste queruntur Amores
Ad tumulum nunc ecce tuum, te voce vocantes:
Te multo mage Cypris amat, quam dulcia nuper
Oscula quæ rapuit morientis Adonidis ore.
Hic dolor est alter, fluviorum o maxime cantu,
Hæc nova cura, Mele: tibi primum est funere raptus
Mæonides, os illud amabile Calliopææ,
Teque ferunt querulis gnatum deflesse sub undis,
Et gemitu complesse tuo freta. tristis ademptum
Nunc alium fles gnatum, alio nunc funere mœres.
Fontibus ambo almis dilecti: hic fonte bibebat
Pegaseo, siculis Arethusæ e fontibus alter.
Ille quidem cecinit te pulcro, Tyndari, vultu,

Et magnum Thetidis genus, & flavum Menelaum.
Hic vero non bella sonans, lacrymosa nec arma,
Panaque pastoresque levi dicebat avena,
Pascebatque greges cantans, ceraque cavatos
Jungebat calamos, suavem mulgere juvencam,
Ac teneros gaudens puerorum dicere lusus:
Semper amor comes illi, & Cyprin semper amavit.
Rumpite Sicelides jam questus, rumpite musæ.
Omnes te claræque urbes atque omnia lugent
Oppida. te gravius, carum quam fleverit Ascra
Hesiodum, flet mœsta; haud tantum est Pindarus oris
Bœotum optatus, nec Lesbo Alcæus; & urbi
Flebilis heu Cejum vates suus. acrius optat
Te Paros Archilochum quam fortem; proque sonanti
Sapphus voce, tuo Mitylene carmine gaudet.
Omnes, quotquot habent facundæ munera linguæ
Bucolici, tristi lugent tua funera versu.
Fama Sami flet Sicelides, interque Cydonas,
Cui fuerant risusque prius, cui gaudia in ore,
Nunc lacrymas fundit Lycidas, civesque Philetes
Inter Triopidas te luget propter Halenta,
Inque Syracusiis bonus ille Theocritus. hæc &
Ausonii luctus cape dona, ignarus & ipse
Haud ego bucolici cantus, te rite docente
Doridos hæredes musæ quem scire fatemur:
Divitias liquisti aliis, mihi carminis artem.
Rumpite Sicelides jam questus, rumpite musæ.
Heu! heu! quum riguos malvæ periere per hortos,
Aut apium viridans aut flos bene olentis anethi,
Post etiam redeunt, vivos novus excipit annus.
Nos magnum, nos forte genus, doctasque per artes
Excultum, semel ut fati vis horrida mersit,

Occupat obscuros tenebris tellure sub ima
Longa quies immensa, & nulli obnoxia fini.
Tuque jacens sub humo taciturna in nocte silebis;
At placet heu Nymphis, ut semper garrula cantet
Rana; nec invideo, quando mala carmina fundit.
  Rumpite Sicelides jam questus, rumpite musæ.
Heu tua ad ora, Bion, venere, heu dira venena
Sensisti; quinam potuere attingere labrum
Illa tuum, subito nec sunt ea dulcia facta?
Quisve adeo immitis, qui vel miscere venena,
Vel misero præbere jubens, tua carmina fugit?
  Rumpite Sicelides jam questus, rumpite musæ.
Pœna manet sua quemque, at me juvat usque gementem
Fundere in hoc luctu lacrymas, fatoque dolere.
Quod si etiam possem, ceu quondam Thracius Orpheus,
Nigra Erebi qui stagna adiit, vel durus Ulysses,
Alcidesve prior; jam nunc Plutonis & ipse
Limina te propter solum visurus adirem:
Nosse, an adhuc cantes Diti, atque audire liceret
Quos numeros cantes? Sicula quin pastor avena
Persephonæ modulare aliquid, quod mulceat aures:
Ipsa etiam Ætnæo Siculoque in litore lusit,
Doricus ipsi etiam placuit sonus. haud sine merce
Cantus erit: prius Euridicen ut reddidit Orpheo
Dulcia threicio resonanti carmina plectro;
Sic quoque te nostris reddet bona montibus; & si
Fas mihi sit tantum, non hæc mea fistula & ipsi
Abnuat umbrarum regi cantare sub orco.

IDYLLIUM IV.

MEGARA.

Uxor Herculis Megara heic inducitur a poëta colloquens cum Alcmena ejusdem Herculis matre. Hinc utraque de acerbissimis casibus, quos ille heros fortissimus variis in locis pertulit, miserandum in modum vicissim conqueritur.

Quid mea sic mater cura tabescis acerba
Triste gemens? curnam primus rubor ora reliquit
Pallida, curve animum tantis mœroribus urges?
An quod inexhaustis, tua proles inclyta, gnatus
Casibus heu premitur, nihili servire coactus
Usque viro, velut hinnuleo leo fortis inerti?
Heu miseram cur me cælestia numina tantum
Dedecorant, fatisque adeo genuere parentes
Invisam? tetigi quæ postquam nupta cubile
Egregii sine labe viri, tam semper amavi,
Quam lumen jucundum oculorum ipsumque verebor;
Atque colam, toto vereor ceu corde coloque,
Nunc etiam nullo fortunæ exterrita casu.
Illo autem infelix nemo est magis ortus in auras,
Hauserit usque adeo diras qui pectore curas.
En etiam sævo, quem Phæbus præbuit, arcu,
Phœbus, Parcarumve aliqua, aut crudelis Erinnys,
Ipse suos gnatos letho dedit, ille per ædes
Cæde furens dulces animas demisit ad orcum.
Vidi egomet diro genitoris vulnere fixos

Concidere; horrendum facinus, quod somnia nulli
Vana vel ipsa ferant; nec sæpe vocantibus ipsis
Nequidquam matrem, ferre ullum perdita quivi
Auxilium; vis nulla aderat vitabilis arte.
Ac veluti amissos queritur sua germina fœtus
Tristis avis, coluber ramosa in sede latentes
Quos rapuit, nigrisque implumes faucibus hausit;
Illa volat circum ramos, atque implet acuto
Cuncta gemens stridore; nec ullam ferre peremptis
Audet opem, sævo metuens accedere monstro:
Sic ego flens miseranda meæ fata aspera prolis
Huc furiis per tecta atque huc incensa ferebar.
Atque utinam o Dictynna, regis quæ mollia matrum
Pectora, natorum cecidissem in funere & ipsa,
Fixa venenato penitus præcordia telo!
Nos ubi deflessent, cari tunc rite parentes
Communemque rogum struxissent, lectaque in auro
Non sine muneribus posuissent ossa, ubi primum
Hausimus ætherii vitales luminis auras.
Nunc illi Aonios vertentes vomere campos
Longe tecta colunt generosis ardua Thebis;
Ast ego Tyrintho sterili Junonis in urbe
Luctibus heu doleo multis, & semper eodem
Pressa modo; lacrymisque datur non ulla medela.
Scilicet exiguo dilecti conjugis ora
Tempore fas miseræ mihi sola in sede videre;
Usque novi subeunt casus, durique labores,
Quos terra pelagoque errans fert undique, saxo
Ille gerens rigido aut præduro pectora ferro.
Tu vero miseranda parens, ut jugis aquæ fons,
Ab Jove quoquot eunt noctesque diesque, liquescis
Fletibus assiduis; alius nec sanguine junctus

Ullus adest, dictis qui me soletur amicis.
Tecta habitant diversa Isthmi trans litora longe
Piniferi cognati omnes. nemo mihi præsto,
Respiciens quem corda queam recreare dolore
Femina, tristis, inops, cunctis deserta; sorore
Pyrrha una excepta: tamen hæc quoque saucia curis
Conficitur, caroque gemit pro conjuge & ipso
Prole tua: miseros nam te magis omnibus unam
Effudisse reor gnatos hominique deoque.

Talia dicebat. lacrymæ volvuntur obortæ
Ex oculis, roseosque rigant vultusque sinusque,
Gnatorum dum cura subit pariterque parentum.
Nec minus & fletu malas Alcmena rigabat,
Tristiaque ex imo ducens suspiria corde
Voce nurum placida sic est affata gementem.

O nata, o prole infelix, cur talia mentem
Fata agitant? sævo cur ambas perdere luctu
Heu properas, memorans tot dura atque aspera rerum,
Quæ non, ah miseræ! nunc primum flevimus una?
An varii casus, nobis quos quæque ministrat
Lux, satis haud fuerint? lugendi ægrescit amore,
Qui cupiat nostras numero comprendere curas:
Fide animo; non hæc data sors a numine nobis.
Ipsa tamen video te, cara o gnata, dolere
Infandum; ignoscoque tibi, quum nulla supersit
Lætitiæ jam caussa, & frustra gaudia quæras.
Quin graviter miseretque tui me, nata, doletque,
Fortunæ in partem nostræ quod sorte vocata
Mœsta gemis, plorasque adversi numinis iram,
Aspera quæ nostris longum cervicibus instat.
Persephone nunc alma sciat, crinesque decenter
Tecta Ceres, quas qui nostris ex hostibus ultro

Fallere tentarit, perjurus tristia damna
Sentiat; haud aliter tu cara hoc pectore vivis
Quam si utero e nostro prodisses lucis in oras,
Maternisque fores in sedibus ultima virgo;
Necte, credo equidem, fugit hæc pia cura merentem.
Quare, dulce meum germen, ne dicere pergas,
Oblitam nunc esse tui, licet acrius ipsa,
Quam Niobe quondam flevit pulcherrima, plorem.
Nec certe culpanda parens, si propter acerba
Damna fleat gnati. prius ipsum lumine vidi
Quam gremio venientem exacto temporis orbe,
Sæva decem matri tulerunt fastidia menses.
Ferreaque horrendi tetigi prope limina Ditis:
Difficili ipsum adeo sic partu enixa dolebam.
Nunc vero longinquus abest, certamina tentans
Heu nova; nec reducem patria num sede revisam
Ipsa ignara scio, lugebo an perdita semper.
Præterea dulcem per somnum tristia terrent
Visa animum; timeoque, infestæ noctis imago
Exitium gnatis ne quod portendat acerbum.
Namque mihi in somnis durum retinere ligonem
Visus utraque manu Alcides, quo scilicet altam
Impiger egesta fossam tellure cavabat
(Conductus merced. velut) florentis in agri
Limite cujusdam postremo: nuda gerebat
Membra, sine & læna, sine cincta ad pectora palla.
Ut vero cœptum perfecit rite laborem,
Firmaque vitifero prætendit septa novali,
Tunc alto in sulco defigens pone ligonem
Induere, assuerat queis vestibus ante, parabat.
Ecce autem subitus tellure effulsit ab ima
Ignis, & horrendo vis flammea vortice circum

Sæviit. ille pedes citus & veſtigia retro
Torquet agens, rapidam ſi flammam evadere poſſit;
Et clypei in morem præ ſe quatit uſque ligonem
Huc illuc oculis luſtrans vigilantibus, ulla
Incautum ne parte furens comprenderet ignis.
Iphicleus cui ferre volens, ceu mœſta putabam,
Auxilium, ante ſuo quam fratri accederet, udam
Concidit in terram lapſus; nec ſurgere rurſus,
Nec potuit rectis pedibus conſiſtere, fixus
Membra immota ſolo; ceu qui ſine viribus æger
Labitur invitus ſenior cogente ſenecta.
Ille jacet defixus humi, dum forte viator
Præteriens dextra languentem attollat amica,
Aſpectumque ſenis veritus barbamque nivalem.
Haud ſecus Iphicleus reſupinus & ipſe jacebat
Nequidquam clypeum quaſſans. ego territa gnatos
Auxilii exſpertes flebam, dum lumina ſomnus
Liquit, & eois aurora emerſit ab undis.
Hæc mihi ſollicitæ per noctem ſomnia mentem
Terruerant; ſed cuncta petant Euryſthea noſtris
A domibus. vates illi ſit dira malorum
Mens mea, nec quidquam nobis fortuna minetur.

IDYLLIUM V.

Suavis eſt ac plenus illecebrarum placidi maris aſpectus, ſed contra ingrata ac periculi plena eſt navigatio, ubi vi tempeſtatis excitum mare æſtuat. Proinde ſatius in terra degere.

Cærula quum leni zephyrus freta flamine criſpat,
Neſcio quid trepidam mentem jubet ire per altum;

Nec jam muſa placet; rapit acrius æquoris unda
Strata procul. Sed quum reſonant ſpumantia ponti
Marmora, volvunturque incurvi ad litora fluctus,
Reſpicio terram, plantaſque, atque æquora damno
Effugiens. tum terra mihi mage fida videtur;
Frondiferæ & nemorum rident mage ſuaviter umbræ,
In quibus alta canit valido vel flamine pinus.
Heu male piſcator vivit, cui cymbula tectum,
Cui labor in pelago. cui piſces ſubdola præda!
At mihi ſub platano dulcis ſopor occupet artus:
Fontis amem murmur vicinum audire ſonantis,
Qui mulcet ſtrepitu, feſſum non turbat agreſtem.

IDYLLIUM VI.

Docet poëta, amorem mutuum eſſe debere, ut ſit felix; idque exemplis oſtendit.

PAN vicinæ Echus, Satyri reſonabilis Echo
Saltantis, Satyrus Lydæ flagrabat amore.
Echo ut Pana ſuum, Satyrus torrebat & Echo,
Et Lyda hunc ipſum: ſuberat vis mutua amoris.
Ut vero ex ipſis aliquis ſpernebat amantem,
Spretus & ipſe dolebat amans, pœnamque ferebat.
Hæc documenta damus cunctis ab amore alienis:
Dilige, ut alterno dilectus amore fruaris.

IDYL-

IDYLLIUM VII.

Ad Vesperum poëta loquitur, ejusque lumen implorat, dum noctu ad amicum pastorem properat.

Hespere, spumigeræ tu lumen amabile divæ,
Cæruleæ noctis sacrum decus, Hespere, tanto
Inferius Luna, quanto præstantius astris,
O salve dilecte; mihi & pastoris amati
Dum propero ad lusus, pro Luna suffice lumen;
Illa hodie incipiens, sese cita condet in æquor.
Non ego ad insidias tacita ferus hostis in umbra,
Non ad furta feror; sed mollis flamma medullas
Urit: quisquis amat jucundo est dignus amore.

IDYLLIUM VIII.

Tanta est amoris potentia atque vis, ut etiam fluvium per medios maris fluctus transire coëgerit e Græcia in Siciliam. Hac de re etiam Virgilius Æn. lib. III.

Non procul a Pisa Alpheus postquam alta subivit
Æquora, trinacrias Arethusæ fertur ad oras
Lætus agens lymphis oleastrum, donaque frondes
Formosas, floresque, & sacri pulveris agmen.
Ille imos fluctus subter fluit, & mare salsum
Inferior findens, undas non miscet in undis,
Nec tacite subter labentem cærula norunt.
Sic gravis ille puer, mala quæque atque ardua suadens,
Amnem etiam docuit propter se nare Cupido.

EPIGRAMMA.

Hoc carmen est in Amorem arantem, interque venustissima ab omnibus semper est habitum.

DEPOSITA faculaque arcuque, accepit acutam
Virgam Amor, & pera cinxit agreste latus.
Et paribus nexis juga subter panda juvencis
Frugifera Cereris munera sevit humo;
Hinc cernens sublime: fove, inquit, Juppiter agrum;
Ne cogam Europæ te juga ferre bovem.

MOSCHI IDYLLIORUM

FINIS.

BIONIS SMYRNÆI

IDYLLIUM I.

EPITAPHIUM ADONIDIS

Cujus mors defletur a poëta; luctusque Veneris, a qua puer vehementer amabatur, describitur. Erat autem sollemne, variis in locis, mortem Adonidis quotannis defleri maximo apparatu.

INCIPITE o questus: periit formosus Adonis,
Heu periit; mœsti lugubre queruntur Amores.
Ne jam purpureo recubes sub tegmine, Cypri;
At surgens atrata sinus percussaque palmis
Pectora, dic cunctis: periit formosus Adonis.
  Incipite o questus; lugubre queruntur Amores.
Frondiferis alte jacet ille in montibus album
Albo dente femur male læsus, & angit amantem
Cyprin vix spirans. ater per candida sanguis
Membra fluit, languent pallenti lumina fronte,
Atque rosæ fugere, simul fugere labellis
Oscula, quæ cupiens numquam Cytherea relinquet.
Grata vel exstincti divæ sunt oscula: at ille
Heu moriens, quæ diva iterat, non oscula sentit.
  Incipite o quæstus; lugubre queruntur Amores.
Horrendum, infelix! horrendum vulnus Adonis
In femore; at majus Cytherea in pectore servat.

Circa illum complentque canes ululatibus auras,
Et nymphæ lacrymantur Oreades: ipsaque Cypris
Sparsa comas, solis mœrens in saltubus errat,
Errat inops ac nuda pedes: rubus asper euntem
Vulnerat, & sacro depastus sanguine rorat.
Fertur at illa tamen per longas anxia valles
Assyriumque vocans sponsum puerumque requirens.
Huic autem saliens patulo de vulnere sanguis
Pube tenus, pectusque alte fœdavit & ima
Ilia: costarum candentia texta rubescunt.
Heu miseram, heu Cyprin; lugubre queruntur Amores.
Formosum simul illa virum, simul oris honorem
Amisit: formosa fuit, dum vixit Adonis;
Forma Deæ periit, simul ac ipse occidit. heu, heu!
Heu repetunt juga cuncta, heu moto vertice quercus.
Et fluvii Veneris luctum flent tristibus undis,
Et fontes lacrymantur Adonin montibus altis.
En flores luctu rubuere; omnesque querelis
Flebilibus Cypris valles implevit & urbes.
Heu miseram, heu Cyprin; periit formosus Adonis:
Echo & respondet; periit formosus Adonis.
Quis dirum non ploret amorem Cypridis? heu, heu!
Ut vulnus vidit crudele, ut Adonidis atrum
Purpurea aspexit circum latera ima cruorem,
Brachia pretendens flendo clamavit: Adoni,
O, mane, Adoni miser; supremum ut perdita visam,
Complectarque ulnis, jungamque labella labellis!
Evigila paullisper, Adoni; extremaque fige
Oscula: dum vivunt, delibans oscula fige
Usque mihi. donec, si quis super halitus errat,
Ore legam fugientem, & dulcem tristis amorem
Exsugamque bibamque. Extrema hæc oscula semper

Servabo, infelix quoniam tu linquis amantem;
Oscula semper erant, extrema hæc oscula, Adonis.
Ah fugis hinc Acheronta petens, regemque tremendum
Immitemque hominum votis: ego perdita vivo;
Sum Dea, nec tecum mihi fas descendere in orcum.
Accipe tu, nostra major cui parta potestas,
Sponsum diva meum Proserpina: quidquid ubique
Formosum est carumque ad te devolvitur unum.
Ipsa queror, doleoque, & acerba saucia cura
Nequidquam exstinctum ploro, te, magna, tremiscens.
Sic moreris, mea cura? abeunt ceu somnia. abivit
Noster amor. Cypris vidua est, orbantur Amores;
Et Cestus periit. cur ah venatibus audax
In nemora, & cæcos voluisti irrumpere saltus,
Tam formosus & ipse feras tentare minaces?
  Sic Dea plorabat; chorus una & plorat Amorum.
Heu miseram, heu Cyprin; periit formosus Adonis.
Mœsta Venus tantum lacrymarum effudit, Adonis
Sanguinis ipse gravi quantum de vulnere fudit:
Et cruor & lacrymæ terra florescere visæ:
Nata cruore rosa est, lacrymis nata est anemone.
  Incipite o questus; periit formosus Adonis.
Ne misera in sylvis jam plores, Cypri, maritum:
Heic torus, heic thalamus bene cultus Adonidi; in istis
Ecce tuis recubat stratis exstinctus Adonis,
O Venus: exstinctus licet ipse heu lumina clausit,
Est formosus adhuc ceu vinctus membra sopore.
Illum ipsis depone in vestibus, in quibus olim
Tecum in nocte jacens assuevit carpere somnos
Aurea strata super: sit quamvis tristis, amare
Ne pigeat visu tristem Dea tristis Adonin.
Serta illum floresque inter depone; sed omnis

Heu puero exſtincto tabeſcit copia florum !
Myrti rore levi ſpargens, & olentibus herbis,
Et myrrhæ ſucco circum line: ſed male & ipſa
Jam pereunt unguenta, tuo jam perdito Adoni!
Puniceo recubat compoſtus tegmine Adonis
Ah! tener, & flentes circum lacrymantur Amores,
Flaventes tonſi crines. hic ſpicula calcat,
Ille arcum, pharetramque alius defringere geſtit;
Alter vincla pedum ſolvit, fontemque lebete
Aureolo gerit alter, & undis vulnera tergit,
Pone alius puerum leviter dum frigerat alis.
Ipſam heu! heu! Cyprin lugubre queruntur Amores.
Jamque faces extinxit hymen in limine, & ipſa
Pronuba diſrupit male ſerta: haud amplius Hymen,
Amplius haud Hymen circumſonat undique, at heu! heu!
Triſte ſonas, o Adoni, ſonas triſte heu, Hymenæe!
Flent Cyniræ gnatum Charites; formoſus Adonis
Heu periit, dicunt alterna voce querentes;
Dicunt voce magis reſona, quam tu ipſa, Dione.
Flent etiam Parcæ, Parcæ lacrymantur Adonin,
Et revocant cantu: nequit ille audire vocantes,
Non quod nolit, eum ſed quod Proſerpina frœnat.
Ergo modum lacrymis nunc pone, epuliſque paratis
Indulge, Cytherea: alio plorabis & anno.

IDYLLIUM II.

Amor in avem converſus puerum quendam venatorem ludificare heic a poëta lepida fictione dicitur.

Impubes venator adhuc dum forte volucres
In nemore inquirit, profugum conſpexit Amorem
In buxi ramo ſidentem. nec mora; gaudens,
Namque ingens volucris viſa eſt, conjungere certat
Inter ſe calamos omnes, & ſervat Amorem
Nunc huc nunc illuc ſalientem præpete penna.
Poſt etiam iratus, curam quum novit inanem,
Ipſe ſenem, calamis projectis, mœſtus adivit
Scindentem glebas, docuit qui callidus artem;
Remque omnem narrat, ſidentem & monſtrat Amorem,
At ſenior quaſſans canentia tempora riſit,
Et fuge, ait, tales venatus; neve ſequare
Hanc volucrem: fuge, nate, procul; fera ſæva volucris,
Lætus eris, donec profugam non ceperis. ævum
Grandius attigeris ſi deinde, ille ocyus ultro,
Qui fugit ac reſilit nunc avius arbore opaca,
Adveniet, domitaque ſuper cervice recumbet.

IDYLLIUM III.

Poëta fingit ſe, quum eſſet a Venere juſſus cantum ejuſdem filium Amorem docere, ab eo didiciſſe res amatorias.

Magna Venus, quum ſomnus adhuc mea membra riga- (ret,
Adſtitit, ipſa manu tacitum Dea candida Amorem

Defixumque solo ducens, ac talia fata est.
Accipe, & hunc puerum mihi tu cantare doceto.
Hæc effata abiit. quæcumque ego carmina agresti
Ludere suetus eram calamo, cantare docebam
Ah! demens, puerum, ceu discere vellet, Amorem:
Ut curva a Pane est, ut recta a Pallade facta
Tibia, Mercurio testudo, & garrula Phœbo
Ficta olim ut cithara est, referebam. ast ille docentem
Nil curans teneros contra cantabat amores
Cælicolumque, hominumque, & dulcia facta parentis.
Tunc oblitus ego puerum quæcumque docebam,
Edidici lusus, docuit quoscumque Cupido.

IDYLLIUM IV.

Amorem esse maximum ad musarum cantus incitamentum docet poëta hoc brevi in carmine.

Musæ nil metuunt agresti pectore Amorem.
Quin & amant, & pone ejus vestigia servant.
Si quis & ingenio duro, nec amoribus apto
Præditus accedat frustra; fugiuntque, nec ipsum
Carmina grata docent. sin molli saucius igne
Quis canat, ultro omnes veniunt adstantque canenti.
Quæ ne vana putes, testis sum maximus ipse:
Nam si alium quemcumque hominemve deumve celebro,
Cessat lingua mihi, resonat nec dulcis ut ante.
Sed quum vel Lycidas canitur, vel forte Cupido,
Ambrosio manat jucundum carmen ab ore.

IDYLLIUM V.

Quum breve datum sit hominibus ad vivendum tempus, aliquando finem labori imponere, curisque modum facere omnes debent.

Si mea pulcra nitent hæc carmina, ferre vel ipsa
Laudem sola queunt, quæ jam mihi fata dedere.
Sin horrent ingrata, quid ah! miser usque laborem
Nequidquam? nam si nobis duo tempora vitæ
Seu divûm pater ille catus, seu Parca dedisset,
Unum tempus uti læta inter gaudia agatur;
Ast aliud curas inter; post reddita tristes
Lætitia exciperet casus mortalia secla.
At quoniam dederunt vitæ unum numina tempus,
Angustusque brevisque mage usque est terminus ævi,
Ah! miseros quam longa ciet nos cura, laborque
Sollicitus? cur tantum animos per lucra per artes
Lassamus, partisque opibus super addere multo
Majores certamus opes? nos nostraque morti
Debemus; cæcosque fugit tamen, invida Parca
Quam breve vivendi nobis concesserit ævum.

IDYLLIUM VI.

Eas esse bonas amicitias, quæ semper fidæ sunt, breviter docet exemplis poëta.

Felix quisquis amat, quum fido & amatur amore.
Felix Pirithoo Theseus: licet horrida Ditis

Limina perrupit, socio tamen usus amico est.
Felix, Axenosque inter comitatus Orestes
A Pylade in quascumque iret procul avius oras.
Æacides quoque letus erat vivente sodale,
Et lætus moriente, necem quando ultus acerbam est.

IDYLLIUM VII.

Ceteris anni partibus, commemoratis commodis omnium & incommodis, ver præferendum esse a Myrsone cum Cleodamo colloquente docemur.

CLEODAMUS & MYRSON.

VERE magis gaudes, an bruma, an divite, Myrson,
Autumno, anne æstu? quidnam præsentius optes?
Dulcior anne æstus? labor omnia perficit æstu.
Dives an autumnus? saturis tum copia manat.
Brumane difficilis? brumæ quoque tempore multi,
Ignis ubi in medio est, ignava per otia gaudent.
An tibi purpureum ver gratius? eja age, Myrson,
Quid malis, mihi fare: vacant sermonibus horæ.
M. Haud homini fas est discernere facta deorum:
Omnia enim sacra sunt, jucundaque. sed tamen optas
Id quoniam, fabor, Cleodame, & vota docebo.
Nolim æstum: radiis nam sol ardentibus urit;
Et nolim autumnum: vis est sua morbida pomis.
Brumam ferre grave est: timeo glaciemque nivemque.
Ver mihi jucundum: ver toto floreat anno,
Quum neque sævit hyems, neque Syrius æstuat igni.
Omnia vere tument, pubescunt omnia vere,
Parque dies homini, par nox data munere divum est.

IDYLLIUM VIII.

EPITHALAMIUM ACHILLIS CUM DEIDAMIA.

In hoc Idyllio seu potius fragmento poëta inducit pastorem Lycidam a Myrsone rogatum narrare Achillis nuptias cum Deidamia.

Myrson & Lycidas.

Visne mihi, Lycida, jucundum carmen avena
Nunc aliquod Sicula modulari; & amabile carmen
Et dulce & tenerum, Lycida, cane: quale solebat
Dicere Trinacrio Galateæ in litore Cyclops.
L. Id placitum licet esset, age o, quæ carmina dicam?
M. Scyria quæ resonat pubes, dic oscula blanda,
Furtivam & Venerem, furtivum & Achillis amorem:
Ut puer indutus peplum est, mentitus & oris
Molle decus natas inter Lycomedis; & ipsum
Deidamia diu non notum aversa refugit.
L. Quondam Helenam pastor rapiens abduxit in Idam,
Oenoni grave vulnus. eum indignata repente est
Sparta quidem contra, pubemque excivit Achivam.
Græcia tota furit; cuncti liquere Mycenas,
Elidaque, & validis regnata Laconibus arva,
Juraruntque nefas sociis ulciscier armis.
Solus Pelides aberat, Lycomedis in aula
Ille latens gnatas inter; lanamque columque
Virgineosque manu nivea pro fortibus hastis
Doctus erat radios tractare; ac texere telas
Nata videbatur: natarum artesque sequutus

Digitized by Google

Et studia & mores primo vernabat in ævo.
In teneris eadem florebat purpura malis,
Incessuque puellari gaudebat, & aureos
Flammeolo crines molli vittisque tegebat.
Sæva intus vis Martis erat, flagrabat & igni
More maris, quem torret amor. surgentis ab ortu
Solis ad occasum semper comes additus ibat,
Deidamia, tibi. nunc & dare dulcia palmis
Oscula gaudebat, pulcrosque extollere vultus:
Nunc gemitus laudabat, & ora madentia fletu.
Semper mensa eadem fuerat; nec virgine tantum
Ulla lætus erat, quantum hac sibi compare; & una
Vellet amans longa cupidus requiescere nocte
Communi in thalamo, sic illi & fatus ab ore est.
Cur aliæ junctæ recubant in sede sorores;
Sola ego sic maneo, tu sic & sola recumbis,
Quum simus forma æquales vernante puellæ?
Nec minus heu solæ disjungimur; una nec umquam
Est miseris sedes. ah cur male distinet ille
Nos paries, sociisque ferus congressibus arcet?
Ipsa, licet mollis tacitæ mihi lumina somnus
Componat, tete nequeo deponere mente
Immemor, aut placida sine te requiescere nocte.
Cura premens agitat, teque amplectorque per umbras
Insomnis, teneoque; tua hæret pectore imago,
Quam video dum læta, mihi jucunda voluptas
Nescio qua subita spargit dulcedine mentem,
Et varia illudunt optatis gaudia formis.
Oh ego sim, talis quondam cui nympha marito
Contingat, vel nata fores tu dispare cultu!
Forte tori alterno nos fœdere jungeret ardor.
Sexus obest, ergo nobis quæ sola relicta

Spes datur, hanc cupidæ per furta alterna sequamur:
Jungamur thalamo interdum, communis & ambas
Excipiat lectus, foveatque puella puellam.
Nulla vetant quod jura, quid o vetuere parentes?
Talia fatus erat Pelides; & rosa qualis
Mane novo, quam vecta super Tithonia conjux
Luce rigat cupidis in serta halantia nymphis,
Exarsit juvenis, fixitque in virgine vultus
Suspirans, fuditque oculis ardentibus imbrem.
Quo fletu commota, imo suspiria traxit
Nympha sinu, sensitque novas in pectore flammas,
Oscula nec juvenis fugit, velut ante solebat.
Jamque etiam in thalamum invitat, quaque arte parentem
Fallere & excubias possit, prior edocet. ergo
Per tacitas ædes ubi discessere sorores,
Et stratis cubuere suis, citus ille cubile
Deseruit notum, ducente Cupidine, teque
Deidamia, petens subiit furtivus eamdem
In sedem, vacuaque tori se parte locavit.
Ah quid agat? metuit deceptæ Virginis iram,
Et simul ardet: amor jubet has effundere voces.
Ecce adsum soror ipsa tibi, sponsusve futurus,
Deidamia: utrum mavis, nunc elige nomen;
Spondeo utrumque tibi. sed si mea vota valerent,
Si tua fors etiam, tacito quæ pectore condis,
Sponsus adesse velim. nam quid jam fingere, & ignem
Dissimulare juvat, penitus quo semper aduror?
Non ego sum, qualem mentito corpore reris:
Ignaram cultus te fallit, & oris imago,
Impubesque genæ fallunt, ni dura resistis,
Pelei eris & divæ Thetidis nurus. atque ita dicens
Oscula certatim roseis infigere malis,

Et petere amplexus cœpit. nova pectore flamma
Subditur, & propior longis spes addita votis.
Obstupuit primum virgo; dein gaudia, & ipsos
Insuetos mutata ut motus hausit: id, inquit,
Id fuerat, quod sæpe tuas ego territa laudes
Extimui, fugique manus, atque oscula tersi.
Cara quidem fuerant, quæ tu mihi cumque ferebas,
Munera; blanditiæ caræ, gemitusque fuere
Dilecti, fateor, queis me tentare solebas,
Mollibasque animum; sed quæ mihi dona placebant,
Sæpe eadem ne vana forent, ignara timebam.
Nunc factis manifesta fides. mihi fama per aures
Attulerat, falsa sub imagine virginis acrem
Heroem latitare, Phrygum qui verteret arces.
Sed quis tam pulcro te corpore crederet illum?
Tu Pelei, Thetidisque genus? tu clarus Achilles
Æacidum flos ille, parens quem diva subegit
Nere manu tenerum, ne dardana Martius ardor
Ferret in arma inter cædes Lyciasque sagittas?
Cedo equidem, nec vota moror: non rustica tantum
Deidamia tua est. tu posthac sola voluptas,
Solus eris furor ipse mihi; tua tempore in omni
Dicar ego: nostris adsit non invida votis,
Quæ regit Idalium dea magna, ac cœpta secundet.
Nec plura his. gaudent animis concordibus ambo,
Atque inter sese iuncti sua gaudia dicunt
Conjugium; nec furta putant, sed jura Diones.
M. Tale tuum carmen, Lycida pulcherrime, quale
Molle apium per prata gregi florentia, qualis
Sibilus & zephyri fessis messoribus æstu.
Nunc satis: evolves alias, ut bella sequutus
Pelides, astu vafri detectus Ulyssei,
Liquerit exanimem deserto in litore amicam.

IDYLLIUM IX.

Contra Venerem vates invehitur, quod cum ipsa diis hominibusque acerba sit, tum acerbiorem etiam Cupidinem pepererit.

ALMA Venus, magno Jove nata atque æquoris undis,
Cur adeo gravis usque homines divosque fatigas?
Parva loquor: cur & sævisti infesta, malumque,
Omnibus heu pestem, peperisti mater Amorem,
Dirumque, immitemque, & pulcra pectus habentem
Diversum a forma? cur & super addere pennas,
Et voluisti armare procul jaculante sagitta,
Effugium ipsius nullum ut superesset ab ira?

FINIS:

MAG 2017707

[illegible] Google

Digitized by Google